

G

V

A

7

6

7

4



✓

005

art. 324

Vorstius, C.

in 4 weitere Schriften

M. VII. 98.



Conradi Vorstij S. Theol. D.  
**PARASCEVE**

Ad Amicam Collationem

Cum Clariss<sup>o</sup>. Theologo D. Iohanne  
Piscatore, S. Literarum in Illustri Schola  
Herbornensi Professore:

Super Notis hujus ad loca quædam, ex illius Tractatu  
de DEO, & Exegesi Apologetica, pridem excerpta,  
& Notis istis breviter examinata.

*Vbi varie questiones theologica tractantur, maxime quæ  
divinam predestinationem concernunt.*

Phil. 2.3.

*Nihil per contentionem, aut inanem gloriam.*



GOVDÆ,  
Typis Caspari Tournæi.  
Anno Domini 1612.

H 3

# ΥΠΟΜΝΗΜΑ

Ex Iacobo Acontio, lib. 1. Stratagematum  
Satanæ, fermè circa medium.

**C**ertè illud extra omne est dubium: quòd si ij, qui in erroribus  
versantur, ita essent comparati, ut vellent patienter, ac paca-  
tis compositisq; animis, ab se dissentientes audire: rationumq; mo-  
menta diligenter expendere: perinde ac si fieri aliquo pacto posset  
(quidquid tandem videatur) ut errarent: fore, ut plerique re voca-  
rentur ab erroribus: sed idèd in ijs eos obstinatè perseverare, quòd  
venire in erroris suspicionem ullam nequeant. Ut quicumque ali-  
ter docere, ac ipsi sentiunt, voluerit: extemplo opprimendum in-  
dictà causà arbitrentur. Quis igitur non intelligat, optimum illis  
consilium futurū: ut quidquid audirent, à suis persuasionibus alie-  
num, non statim rejiciendum putarent: sed subsisterent nonnihil,  
atque ita cum animo suo cogitaret unusquisque: Mihi quidem vera  
videntur, quæ hætenus cum vulgo credidi: sed quid si mihi idem  
accidat, quod valdè multis solet: ut quod mihi maximè certum esse  
videatur, in eo potissimum errem? quid ni enim audiam hominem  
prius? quid ni expendam quod dicit? Pauli præceptum est: Prophe-  
tias ne spernite: omnia probate: quod bonum est tenete &c. Et  
mox. Itaque prudèter facere, qui cum se homines esse meminerint:  
ut tam decipi ipsi, quàm ulli alij potuerint: (et si errare se haud in-  
telligunt: quasi tamen errare possint) attentos se auditores præbent  
ijs qui se meliora docere posse profitentur: atque id ita faciunt, ut  
non tamen nisi diligenti factò examine admittant quicquam, im-  
plorato etiam divino ad id auxilio &c.

1. Thess. 5.

Typis Caspari Thomæ  
Anno Domini 1615.

# Christiano & candido

Lectori S.

**P**RIVS QVAM ad scriptum hoc perlegendum accedas, Christiane ac candidè Lector, veram ejus *occasionem*, verumque *scopum*, ac rationem servatâ in eo *methodi*, ut accuratè cognoscas, non meâ tantum, sed & tuâ, interesse credo. Meâ, ne quid temere, aut sine iusta graviq; causa, hîc factum à me putes. Tuâ, ut rem totam, quæ hîc tractatur, quæque deinceps, favente Deo, plenius in ipsâ Collatione tractabitur, rectius intelligas, tantoque incorruptius judicare de lite hac nostra possis. *Occasio* igitur hæc fuit. Ante menses aliquot Vir Reverendus & Clarissimus *D. Johannes Piscator*, Theologus sanè veteranus, & insignis, & mihi, tum ob pietatem & eruditionem singularem, tum quia vetus præceptor fuit, meritò colendus, inque Domino verè dilectus, Epistolam ad me misit, sic satis humaniter scriptam: quâ significabat inter alia, se quædam ex Tractatu meo de Deo, & Exegesi Apologetica, inter perlegendum enotasse, *in quibus errare ipsi viderer: easq; Notas hoc consilio ad me mittere, ut ubi illas rectas atque iustas esse cognovissem, Deo gloriam darem, & quæ malè scripsissem, publico scripto retractarem &c.* Hanc Epistolam, unâ cum adjunctis Notis, postquam serò tandem accepissem, & diligenter omnia, inque timore Domini (de quo sanctè hunc ipsum testem appello) non semel perlegissem: affectum quidem optimi Viri erga me benevolum, & pium in erroribus meis (qui sic ipsi videbantur) mihi commonstrandis studium ac conatum, haud obscurè animadverti: Sed magnam in plerisque Notis bo-

narum rationum penuriam, & argumentorum ab ipso allatorum imbecillitatem, inter legendum offendi: In nonnullis etiam (quæ communis hominum infirmitas est) lapsus insignes, & errata quædam valdè periculosa, satis apertè deprehendi. Itaque divinæ veritatis, immò Dei ipsius, præsidio fretus, ad placidam Responſionem adornandam me statim accinxi: quam etiam, Deo auxiliante, non ita multò pòſt absolvi. Et quamvis hanc ipsam Responſionem, cui titulum *Amicæ Collationis &c.* libenter ac meritò inscripsi, etiã inconſulto D. Piscatore (quippe cujus scriptum cum pluribus jam communicatum eſſe ſciebam) tum meo privato, tum in primis publico ac communi quodam Religionis jure, in lucem edere potuiſſem: malui tamen, conſilio cum amicis habito, amoris ſimul & honoris erga veterem præceptorem teſtandi cauſa, ultroneum & amicũ illius conſenſum ſuper hac ipſa re per literas humaniter antè poſtulare, quàm ullam vel miniſimi offendiſculi occaſionem, quæ ex ingrata fortè hujus Reſponſi editione oritura fuiſſet, optimo ſeni præbere. Opusculo igitur jam penè parato, in hanc ipſam ſententiam ad ipſum D. Piſcatorem ſcripſi: & conſenſum, quem volui, non difficulter impetravi: ſicut ex ipſius brevi reſcripto patebit: quod unà cum Epistoſa mea, quatenus ea quidè huc pertinet, in ipſa Collatione commoſo loco adſcribam. Hoc autem totum ego quidem ſingulari Dei providentiã, & paterno quodam conſilio, ſic accidiffe credo: nempe, ut per hanc occaſionem cæleſtis illa veritas, quam in hiſce quidem controverſijs mihi favere planiſſimè credo (ſaltem quæ ab omnibus hodie Zelotis ſatis animoſè jaſtatur, à pauciſſimis autem ſincerè placidequè inquiritur) magis ac magis operâ utriuſque noſtrâ illuſtretur, & velut è tenebris in lucem clariſſimam eruatur, ac nuda denique coram omniũ Lectorum conſcientijs exponatur. Quum enim D. Piſcator in hiſce Notis amicum erga me affectum ſic ſatis oſtendat; ſaltem ab  
omni

omni hostili virulentia, & acerba mei infestatione, sibi temperet; solisque rationibus, è S. Scriptura (sive dextrè, sive sinistrè) petitis, agere mecum instituat: quumq; vicissim mihi per Dei gratiam firmiter propositum sit, iisdem hisce spiritualibus armis cum ipso placidè decertare, omnemque ipsi non modò benevolentiam, sed & reverentiam, in hac collatione nostra exhibere: adeoque nusquam hinc meam ipsius, aut cuiusquam alterius privatam; sed ubique publicam divinae veritatis causam, ac victoriam, sancto studio procurare: omnino sperandū, immò indubitatò credendū, mihi videtur, ipsum Deum, Veritatis parentem, huic instituto nostro, quippe verè pio, & unicè ad ipsius gloriam directo, juxta gratuitam promissionem suam copiosè benedicturum esse. Quæ quidem spes, seu fiducia, ex Eristicis ac maledicis illis (quæ seculo nostro nimium familiaria sunt, quæque specioso divini Zeli prætectu ut plurimum teguntur) hierophantarum quorundam scriptis hauriri nunquam poterit: quum Spiritus ille Veritatis ab hominibus mundanis, iræ odioque indulgentibus, & speciatim ab immodestis, contentiosis, & protervis alienæ fidei dominatoribus, multòque magis à profanis convitiatoribus, & irrisoribus &c. omnino exulare; contràque apud solos verè humiles & mansuetos, verèque pios ac pacificos, habitare velit, & soleat. Aut igitur nullâ prorsus (quod absit) aut illâ solâ ratione ac viâ, quam D. Piscator, & ego, per Dei gratiam insistere nunc cœpimus, ad certam divinæ veritatis, quatenus inter partes de ea controversatur, cognitionem pervenire nobis tandem licebit.

Atque hæc de vera primaque hujus Scripti occasione hinc sufficiant. Vnde aliquatenus etiam de scopo, seu fine, utriusq; nostrum judicare licebit. D. Piscator quidem, Notis suis ad me mittendis, eò potissimum spectavit (prout ipse in priore suâ Epistola fatetur) ut ego, agnitis operâ ipsius, ac publicè retractatis, quos putavit, erroribus meis, tum conscientia mea,

tum *Ecclesie Christi*, quam scriptis scilicet meis supra dictis offendissem, tranquillitatem procurarem &c. Qua in re certè & privatam ipsius erga me benevolentiam, & publicum erga Ecclesiam Christi studium, lubens meritoque agnosco, & prout par est, gratâ mente prædico. Meum igitur vicissim fuit, non modò privatim & facilem, & justam, erga pium hunc virum gratitudinem aliquo simili officio testari: sed & publicè me coram universa Christi Ecclesia per hanc occasionem modestè purgare; simulque controversias hæc nostras, ex sacro Dei verbo dijudicandas, eidem reverenter offerre. Quum enim in conscientia planè persuasus sim, D. Piscatorem in plerisque, saltem præcipui momenti, rebus, in quibus hallucinari me putat, ipsummet haud leviter errare: omnino existimavi, non minimam gratitudinis, ipsi à me debitæ, partem in eo positam esse, si errata hæc ipsi comiter ostenderem; atque ita simul ansam occasionemque eidem præberem, hæc ipsa tempestivè, priùsquam ad Dominum hinc migret, aut profus emendandi, aut saltem aliquo modo mitigandi.

Atque hic unus sanè fuit, isque planè, ut arbitror, honestus, vereque Christianus, in hoc Responso adornando mihi propositus scopus: sed tamen neque unicus, neque præcipuus. Accessit enim alter principalis, longeque priore gravior: quem obiter jam modò innui. Ut nimirum Ecclesie Christiana palàm hac occasione testatù facerem, nullo me contentionis, aut *κρηδοξίας* studio, sed solo veritatis & conscientie respectu, ea ipsa modestè tueri, quæ rectè jam pridem, saltem recto animo, bonoque sine, à me scripta esse arbitror: nec sine magna ratione privatis quibusdã, licet alicubi vulgò receptis, particularium Doctorum opinionibus assensum hactenus denegare: nec publicum tamè Ecclesie iudicium, ab ipso Dei Spiritu dictatum, ullo modo defugere: sed ultrò potiùs ad legitimam, vereque sanctam Synocum, si quando nobis

nobis eam Dominus concesserit, universam hujus causa cognitionem deferre. Ut autem paucorum quorundum, nedum unius cujuscumque, iudicio stem, aut cadam, nullo jure a me postulari potest. Tyrannis enim hec aperta foret, & intoleranda servitus: non minus S. Ecclesie noxia, quam, qua in altero extremo peccat, turpis *ἀναρχία*, & effrenis licentia. Iudicent igitur deinceps (hoc enim opto, & spero) de hac causa nostra, omnes Ecclesie, omnesque Academia Christianae: praesertim Evangelicae, ac Reformatae, sive latae, sive strictae significatione sic dictae: h. e. sive *Augustanam*, sive *Helveticam*, sive *Gallicam*, aut *Belgicam*, aliasve similes fidei confessiones, hactenus amplexae. Sed iudicent sincerè & incorruptè: h. e. sine omni prosopolepsia, *καὶ ἀεὶ πειθῶν καὶ περὶ ἐπιματῶν*: & quidem ex solo Dei verbo, logicè ubique tractato. Neque iudicium temerè praecipitent: sed momenta omnium rationum, & merita totius causae, utrinque diu multumque ponderent: eoque non hanc tantum Parasceven, & qua mox sequetur Collationem, sed & alias hinc fortè orituras Respon- siones, Replicationes, Duplicationes &c. prius accuratè examinent, quam definitivam de tantis rebus sententiam ferant. Hic enim maximè, si usquam, lentè festinandum est: nec quidquam affectibus, aut personarum respectibus, ullà ratione tribuendum: sed tota mentis acies in ipsam rerum propositarum veritatem (quae extra clarum Dei verbum aut nulla hic est, aut adeò caliginosa, ut oculatissimos etià saepe fugiat) unice defigenda est. Tale igitur hic iudicium ut detur, ex animo desidero. Quod etiam à paucis *ἀνδραγαθῶν* praecipuari, iniquum foret. Ego tamen interea paeis Ecclesiae causam nihil non facere paratus sum (quod & re ipsa hactenus ostendisse me puto) modò ne contra conscientiam facere quidquam cogar. Cedam non invitus privato jure meo, quoad possum. Et quaedam, licet alioqui meo iudicio vera, non tamè ad salutem scitu necessaria, siquidem opus erit, ad tem-

ad tempus reticebo : quædam etiam, licet falsa, non tamen  
apertè impia, aut omnino perniciofa, facilè in alijs præteri-  
bo. Vt autem in ijs, quæ jam pridem scripsi, errasse me fa-  
tear, culpamque deprecet, quum errasse me nondum intel-  
ligam, cogi certè non debeo. Immò verò si quibusdam Ze-  
lotis hîc paream, reluctante cōscientiâ id facturus sim, ideo-  
que in Deum graviter delicturus. Quare nec tranquillita-  
tem, de qua D. Piscator loquitur, sed cruciatum potiùs, con-  
scientiæ meæ sic agendo procuravero. Neque verò hoc est  
pertinacem esse, aut Ecclesiam turbare &c. ut quidam satis  
ineptè interpretantur: sed contrà potiùs est, Dei verè timen-  
tem esse, & sollicitam suæ conscientiæ, simulque libertatis  
Ecclesiasticæ, rationem habere : sicut jam olim ab alijs, qui  
argumentum hoc latius tractarunt, egregiè satis ostensum  
fuit. Nam quidquid de pertinacia sit, quam solus Deus in  
hoc casu novit, saltem non ij verè turbant Ecclesiam, qui  
de errore suo nondum persuasi, immò contrà de veritate  
sententiæ suæ certò persuasi, nihil temerè retractant : sed ij  
potiùs, qui ab alijs, quod non debent, imperiosè exigunt: vi-  
delicet, ut contra conscientiam illi quidquam retractent;  
& quasvis Doctorū opiniones, vulgò fortè receptas, suo cal-  
culo simpliciter approbent &c. Sed de his alibi quoque non  
pauca scripsi. Quæ tamen hîc, occasione sic ferente, breviter  
repetere volui, ut, quorsum hæc Parasceve, ei que succeda-  
nea Collatio, præcipuè destinata sit, clariùs intelligi queat.

Adde tandem & *tertium* finem, ex eo natum, quòd, quum  
pluribus antagonistis, qui stilum hæctenus (sed planè diversa  
ratione ab ea, quam D. Piscator hîc instituit) certatim in me  
unum strinxerunt, singularim respondere, neque utile, ne-  
que honestum videretur, unum ex omnibus aliquem mihi  
deligendum esse non immeritò putavi, qui cœteris & do-  
ctrinâ, & pietate, nec non gravitate, & modestiâ, longè ante-  
celleret. Talis autè meritò mihi visus est D. Piscator: quippe  
cui

Vide Acon-  
viû lib. 4.  
Statage-  
mat. Sata-  
na.

cui hanc palmam non modò *Georg. Eglisemmius* Scotus, qui  
 se Medicum & Philosophum appellat ( verè tragicus Theo-  
 crines : οὐ τὸ σόμα ἀρχὴς ἢ πικρίας γέμει ) Sed & *Matt. Sladus*, & *Rom. 3.*  
*Adr. Smoutius*, & *Fr. Bröckerus*, caterique horum Socij, si fa-  
 piunt, ultrò delatuti sint. Excerptit enim hic vir omnia, &  
 quidē meo iudicio sat dextrè, paucissimis quibusdā exceptis  
 (fortè quia hæc minimi momēti esse putavit: vel potiùs, quia  
 à me rectè tradita esse iudicavit ) quæ illi jam antè confusiùs  
 excerpterant. Sed & alia quædam ipse adjecit, quæ illi præ-  
 terierant. Examen verò, etsi non usquequaque solidum ac  
 certum, tamen & brevius & accuratius, quàm illi, ubique in-  
 stituit. Modestiâ denique omnes, ac mansuetudine, item gra-  
 vitate, plurimùm superat. Mitto stili σοφίνδαν, ab omni fastu  
 & lenocinio alienam, & alia talia, in bono disputatore me-  
 ritò laudanda. Ab his autem virtutibus, maximè præcipuis,  
 omnes illos (excepto *Fr. Bröckero*, qui aliquam saltem placi-  
 ditatis, & candoris, speciem præ se fert) inter scribendum ve-  
 luti peregrinos fuisse; adeoq; contrarijs vitijs, quamquam  
 inæqualiter, plus satis indulfisse; cordatus Lector facilè ani-  
 madvertet. Vno igitur labore, adversus unum hunc virum  
 modestè disputando, semel defungi satius fuit, quàm singulis  
 illis seorsim respondendo, inanem operam sumere, cumque  
 tædio Lectorum eadem subinde inculcare. Certè πάντι ἀπο-  
 λογιῶν θεράπων, ut ille ait: addo ego, καὶ ἀνωφελές, καὶ  
 αἰδύνατον: præsertim si quis unus à tot, tamque diversi genij,  
 adversarijs impetatur: & ijs quidem plerisque sic compara-  
 tis, ut ex acriore ipsorum oppugnatione nullū aliud lucrum,  
 quàm pijs dolorem, improbis gaudium, & speciatim certum  
 Reformatae Religionis opprobrium, & publicam Ecclesiæ  
 Christianæ ignominiam, cum maximo infirmorum offen-  
 diculo conjunctam, reportare possis. Talis quidem θρησμομα-  
 χία foret, ad quam *Scotus* ille philosophus, quem supra dixi,  
 me plusquam procaciter invitat. Sed cui morem me gerere,

b

nec

nec superiorum auctoritas, nec publica honestas, hucusque permisit. Suis enim protervis calumnijs, ac petulantissimis loidorijs, indignū se ipse reddidit, quicum vir bonus, ac piē doctus, velut in bestiaro Circo committatur. Quòd si quid tamen aut hic Philosophus habet, aut alter ejus ex parte *γνήσιος σὺζυγος*, ac semipopularis, Matt. Sladus, aut alij paulò his modestiores, jam antè nominati; quod fortè D. Piscator omiserit, quum tamē haud indignū examinatione videatur, id separatim aliquando (Deo favente) velut auctarium, aut appendicē, institutę Collationis, unà cum Responsione mea in publicum edere decrevi. Nunc enim hæc scriptio, quippe & fructuosior, & honestior, immò magis necessaria, meritò præmittēda videbatur. De cujus *scopo* quia satis superq; jam dixi, illud superest, ut de *modo*, ac *methodo*, non nihil adjiciam.

Vbi ante omnia notare te velim, mi Lector, non temerè Parasceven hanc ipsi Collationi à me præmitti. Causa quidē multiplex est; sed una hæc præcipua, ut ordinatam quandam summā, ac veluti methodicā synopsis, eorū omnium, quæ deinceps in Collatione nostra pleniùs exponentur, in conspectu habeas: atque ita cohærentiam, ac nexum, præcipuarum quæstionum faciliùs animo infigas: tantoque re-ctiùs, ac feliciùs, de sententijs, simulq; rationibus, utriusque partis judicare possis. Quum enim D. Piscator in Notis suis (quarum vestigia, certis de causis, in ipsa Collatione mihi sequenda esse meritò putavi) ad solam utriusque libri mei, supra dicti, seriem sese adstrinxerit: nec materias ipsas in certa capita, seu titulos generales, digesserit: hinc factum est, ut Methodi leges penè omnes ibidem negligere, adeoque diversis locis eadem subinde (quamquam diversâ ratione) inculcare, coactus fuerim. Quare hac præviâ Synopsi judicio simul & memoriæ tuæ consulere volui: citra quam ipsa Collatio parùm fructuosè legi posse videbatur. Porro hæc eadem ratio mihi persuasit, ut Parasceven ipsam in duas principales par-

les partes distribuere: quarum prior universam penè materiam de *divina predestinatione*, cum fundamentis, & appendicibus suis; altera verò, tum alias diversi generis quaestiones, tum eas maximè, quæ de nonnullis Dei *Nominibus*, & *Attributis* &c. moveri solent, distinctè complectitur. Sic enim omnia quàm commodissimè disponi, & singula deinde suis locis, absq; notabili tautologia, satis accuratè explicari posse judicavi. Et materiam quidem *predestinationis* non idcirco tantùm priore loco proposui, quòd in prioribus aliquot D. Piscatoris Notis ut plurimùm tractata occurreret: sed in primis, quòd cæteras omnes tū gravitate, tum utilitate sua, excedere jure videretur: quippe quæ salutis, ac damnationis humanae causas, si non omnes, saltem præcipuas, ambitu suo complectitur. Vt enim recta istarum expositio tum gloriam Dei Christiq; valdè illustrat, tum veræ pietatis studiū vehementer excitat, & excitatum alit, atque confirmat: Ita vicissim prava earundem explicatio, & illam plurimùm obscurat, & istud in animis hominum; si non prorsus extinguit, certè admodum enervat, & languidum reddit. At cæterarum rerum, quæ in altera parte traduntur, alia planè conditio & natura est. Nam etsi vera istarum intelligentia non parum & ipsa utilis ad pietatē censenda est: contrariaq; earundem ignorantia, aut qualiscunque circa ipsas hallucinatio, saltem per aliquod accidens, ob quasdam fortè consequentias, veram Dei Christiq; gloriam alicubi lædere potest, aut etiam solet: tamen, comparativè loquendo, neque Spirituæ utilitas in notitia veritatis, neque noxa & pernicietas in errore, tanta hîc unquam est, aut esse per se potest, quantam in illo priore genere utramque esse, tum ex Dei verbo, tum ex ipsa experientia, certò novimus. Hæc igitur ordinis ratio est.

Quamquam nihil hîc D. Piscatori præjudicatum, aut præscriptum velim. Liberum enim ipsi erit, aliter omnia sua disponere, si velit: dummodo tolerabilis aliqua Methodi ratio in

tio in posterum utrinque servetur; & odiosa in disputando tautologia vitetur. Saltem omnia, quæ alicujus momenti videbantur, & fideliter, & breviter, hîc è Notis ipsius excerpta fuisse, ocularis Notarum inspectio deinceps ostendet. Nam & propterea in Collatione Notas omnes in 133. Sectiones distribui: Et numeros istarum in hac Parasceve singulis illius sententijs adjeci: ut fideliter omnia citata esse, cuius scriptum D. Piscatoris inspicere volenti statim apparere possit. Neque puto, ipsum hac in parte quidquam de me conquesturum esse: ut qui negare non possit, sententias suas, licet verbis alicubi contractas, absque ulla tamen exasperatione, hîc sincerè à me proponi: immò nonnullas, in argumento quidem prædestinationis, aliquantò etiam mitiùs à me citari, quàm vera ipsarum conditio ferat. V. gr. cum simpliciter ipsum asserere dico, *Incredulitatem hominum pendere à Dei prædestinatione &c.* omissò eo, ac velut in dubium vocato, quod ipsius sententia alioqui reverà continet, quodque ab ipso alibi scriptum esse noveram: non quolibet modo illam ab hac pendere, sed tanquam effectum à sua causa; sive hanc veram, & principem, illius causam esse &c. Quorum illud longè mollius esse, quàm istud, nemo non videt. Plura hujus *ἐπιμενέας* exempla hîc facilè inveniet, quisquis alia D. Piscatoris de hoc ipso argumèto scripta, cum sententijs ejusdem hîc citatis, sedulo conferre volet. Non enim optimi Viri exagitatio, sed sola veritatis inquisitio, ac defensio, hîc mihi proposita fuit. Etsi verò in ipsa Disputatione (quod omnes licitum esse norunt) *δύσφημα καὶ ἄτοπα* quædam, ex plerisque Dn. Piscatoris Thesisibus de prædestinatione &c. necessariò consequi passim affirmo: non tamen hoc sic accipi velim, quasi certò statuam, absurda hæc consequentia, non minùs quàm ipsorum antecedentia, D. Piscatori reipsa probari. Absit. Fieri enim potest, ut quæ mihi, alijsque mecum sentientibus, firmæ consequentiæ esse videntur, revera interdum infirmæ

*a Pav. 1.  
cap. 3.*

*Vide Disp.  
con. Schaf.  
Et Theses  
de prædest.  
an. 1597.  
1608.*

infirmæ sint. Sæpe etiam fit, ut quæ reipsa firmissimæ sunt (quales ego sanè meas hîc esse puto) earum firmitas ab Antagonista nondum intelligatur. Sic v.g. non mihi solùm, sed & plerisque Christianis, prorsus indubium est, ex axiomatico illo Piscatoris, paulò antè posito, per necessariam cõsequen- tiam firmissimè concludi, aut *Deum esse auctorem peccati, aut incredulitatem non esse peccatum &c.* Neque tamen hoc con- sequens ipsi Piscatori tribuere ausim: quippe quod ab ipso constanter repudiari, & tanquam blasphemum (ut revera est) apertè damnari non ignoro. Et quis nescit, optimis etiam doctissimisque Viris, in omni ferè scientiarum genere, interdum id accidere, ut, quum antecedens aliquod ponant, aut ab alijs positum admittant, unde absurdum consequens necesse- riò emergat, cõsequens tamen ipsum bonâ conscientia repudient, quia scilicet firmitarè cõsequentiæ nondum vident. Atq; utinã hæc res, in hodiernis de Religione controversijs, accuratè ab omnibus expèderetur! Haud dubiè minus acerbitatis, iracundiæ, convitiõrum, insectationum &c. contraque plus mansuetudinis, æquitatis, charitatis &c. ubiq; vigeret.

Ego quidem hîc erga D. Piscatorè tanto æquior esse possum, immò & volo, & debeo: quanto hujus ejusdem infirmitatis, quâ illum, multosque alios, adhuc laborare credo, experimentum certius antehac in meipso deprehendi. Ingenue namque fateor (licet æmuli fortè id calumniaturi sint) me horridæ illi sententiæ, de absoluta prædestinatione &c. quam ante 30. circiter annos à præceptoribus imprudenter hauseram (quæq; omnino, in præcipuis saltè partibus, cum sententiâ D. Piscatoris coincidit) sat longo tempore, plus satis animosè, adhæsisse: idque potissimum idcirco, quòd genuinum aliquot S. Scripturæ locorum, & præsertim cap. 9. ad Romanos, sensum assequi tum nondum possèm: quòdque absurda illa consequentia, quæ ab alijs contra urgeri videbam, aut nõ verè absurda esse, aut minùs firmiter ex ista sen-

tentia concludi, non illibenter crederem: quòd denique, religione quadam præposterâ ductus, à penitiorè totius controversiæ examinatione abstinendum esse putarem: ne scilicet adoranda Dei mysteria, cujusmodi hæc esse præsupponebam, curiosiùs scrutari velle viderer. Sed postquam, Deo sic providente, mihi que varias occasiones ad hoc suggerente, diligentius in omnia inquisivissèm: jamq; sine præjudicio cõtraria quædam *Erasmi, Philippi, Hemmingij, Castellionis,* item *Hier. Osorij, Mat. Bergij, D. Hunnij,* aliorumque recentium Doctorum, sed in primis veterimorum aliquot Patrum, scripta non oscitanter perlegissèm: tum demum mentis oculos hæc in parte magis magisque aperui: & tandem in ea sententia, quam in tractatu de Deo passim propono (quamque & S. literis, & Sanæ rationi, & perpetuo purioris Ecclesiæ consensui, planè conformem esse credo) conscientiam meam solidè stabilivi. Id verò non hoc primùm, aut superiore anno, sed jam ante duodecennium, mihi sic accidisse, non modò complures amici, & auditores mei, perspicuè norunt; sed & theses ipsæ de Deo, quas D. Piscator hîc oppugnat, jam inde ab illò tempore successivè in lucem editæ, palàm testantur. Quod obiter hoc loco paucis indicandum esse putavi: idque certis de causis, de quibus aliàs fortè uberius. Nûc enim huic præfationi finis imponendus esse videtur: si tamen uno verbo D. Piscatorè antè rogavero, ut promissi sui memor, quod

*In præfat.  
pag. 13.*

alibi cõtra Schaafm. piè sic proposuit, *se Correctionem ex verbo Dei libenter à quibusvis admitturum &c.* scripturam hanc meam, quippe ab animo sincero, ipsique in Domino bene cupiente profectam, non illibenter admittat: & rationibus, ex Dei Verbo allatis, humiliter acquiescat: atq; ita sanctam Evangelij Veritatem, & communem Ecclesiæ pacem, unà nobiscum pro virili sua promoveat. Quam gratiam & ipsi, & pijs omnibus, largiatur Deus & Pater D. N. I. Christi per Spiritum S. Amen. Scriptum Goudæ  $\frac{15}{3}$ bris Anno 1612.

INDEX

## INDEX CAPITVM

### Primæ Partis.

- Cap. 1. De Voluntate & Actione Dei generali circa homines: si-  
ve de decretis Dei, eorumq; executione, circa genus humanum.
- Cap. 2. De speciali voluntate Dei circa Religionem, præsertim  
quæ in illius promissis & præceptis consistit.
- Cap. 3. De speciali voluntate, & Actione Dei, circa peccata &  
pœnas hominum.
- Cap. 4. De Bonitate, gratia, & misericordia Dei erga homines.
- Cap. 5. De justitia & potestate Dei, in negotio salutis, ac dam-  
nationis.
- Cap. 6. De Prædestinatione Dei gemina, deq; Electis & Re-  
probis.
- Cap. 7. De morte & merito Christi: siue de fine adventus ipsius  
in mundum.
- Cap. 8. De Conversione hominis, & libero arbitrio ad bonum.
- Cap. 9. De perseverantia fidelium, deq; libero eorum arbitrio  
ad malum.

## INDEX CAPITVM

### Secundæ Partis.

- Cap. 1. De nomine Iehovah: an, & quatenus, Creaturis in S-  
literis aliquando tribuatur.
- Cap. 2. De nomine Elohim: an plures in Deo per sanas signifi-  
cet, & num isto sensu pluraliter in Scriptura de Deo usurpetur.
- Cap. 3. De Infinitate, siue Immensitate, & Omnipræsentia Dei  
essentiali.
- Cap. 4. De simplicitate Dei, quomodo rectè intelligenda sit: &  
an ulla compositio locum in Deo habere possit.
- Cap. 5. De Æternitate Dei: & speciatim, an, & quatenus de-  
creta Dei æterna dici possint.

Cap.

- Cap. 6. De Dominio Dei: An, & quatenus aeternum, sive sempiternum, dici possit.
- Cap. 7. De beata Dei visione: qualis scilicet olim in caelo futura sit.
- Cap. 8. De meritoria salutis nostrae causa: sitne sola Christi mors, an potius integra e jusdem obedientia.
- Cap. 9. De Miscellaneis quibusdam questionibus, ad Varia S. Theologiae loca pertinentibus.
- Cap. 10. De recta intelligentia quorundam Scripturae locorum, in hisce Notis occurrentium.

Errata typographica sic corrige.

- pag. 7. lin. 11. lege Tum, pro Tam.
- p. 9. l. 11. Ergo, pro Ego.
- p. 13. l. 23. pertinet, pro pertinent.
- p. 15. thes. 9. quia, pro qua.
- p. 19. l. 6. à fine. nunquam, pro nnnquam.
- p. 27. l. 10. à fine. antecedente, pro andecedente.
- p. 29. l. 7. credentibus, pro credentoribus.
- p. 36. l. 7. à fine. hucusque, pro hujusque.
- p. 38. l. 10. à fine. incredulorum, pro incredutorum.
- p. 41. l. 6. à fine. argumentum, pro arguementum.
- p. 47. l. 16. Kikel, pro Kalkel.
- p. 50. l. 6. præordinasse, pro perordinasse.
- pag. 56. l. 9. sequelam, pro sequelatu.
- In accentibus quoque græcis alicubi leviter erratum est.
- In præfat. p. ult. l. 8. à fine. dele, à quibusvis.

Est etiam norandum σφάλμα μνημονικόν par. 2. cap. 7. pag. 61. ubi de similitudine solis & radiorum &c. tanquam ab Epiphania tradita, differitur. Non enim hæc similitudo (quam non malè alibi notaveram) sed alia duæ ab isto Patre afferuntur: una à caelo, altera à mari petita: quorum utrumq; revera videri asserit, etiamsi particula tantum utriusque aliqua videatur &c. Alioqui nihil hîc in principali Auctoris sententia erratum est.

# PARS PRIMA.

## CAPVT I.

*De Voluntate & Actione Dei generali circa homines: sive  
de decretis Dei, eorumq; executione, circa  
genus humanum.*

**F**VNDAMENTA sententiæ tuæ præcipua, Clariss. D. Piscator, de præcisa & Absoluta, seu maius inconditionata, Dei *Prædestinatione*, de quæ alijs quibusdam, cum hoc Capite necessariò coherentibus, doctrinis (opinionem quidem mea falsis, immo valdè noxijs) ante omnia breviter expendemus: ut aliqua saltem methodi ratio in hac opusculi nostri parte seruetur. Illa verò ad *quinque* capita non incommodè redigi posse animadverto. *Quorum primum* hoc esto, quod in titulo positum hîc vides: de *Voluntate & Actione Dei* circa homines in genere, &c. Ad hoc autem Caput pertinent sequentia tua Enunciata, quæ passim in Notis tuis, aut totidem Verbis, aut prorsus æquipollentibus, expressisti: quæ quæ ego & falsa, & veræ pietati perniciosâ, esse existimo: sic tamen, ut propterea de sincera pietate ac *φιλανθρωπεία* tua nihil detractum velim. Illa igitur ita habent.

1. Nulla est voluntas Dei conditionata circa homines; sed præcisa omnis & absoluta. Sive, nihil de nobis vult, aut unquam decrevit, Deus sub conditione; sed omnia præcisè & absolutè. Sect. 4. & 11. & 13. & 66. & 109. & 128.

2. Falsa est distinctio voluntatis Dei in antecedentem & consequentem. Nempe, quia nulla est voluntas Dei consequens: h. e. quæ actus nostros consequatur in Dei præscientia. Sect. 8. & 68. & 72. & 127.

3. Nullum est in Deo conversionis, aut salutis nostræ, de-

A

sider-

2  
siderium propriè dictum : sed metaphoricè tantùm id ipsi  
tribuitur. Sect. 5. & 7. & 11.

4. Nulla est in Deo voluntas inefficax, seu quæ externo  
effectu aliquando careat : quæ vulgò velleitas appellatur.  
Sect. 62. & 67. & 109.

5. De voluntate, seu proposito & consilio Dei, semper  
ex eventu judicare licet : quia nihil fit præter Dei volunta-  
tem ; h. e. præter id, quod Deus aut ipse facere, aut ab alijs  
fieri vult. Sect. 13.

6. Quæcunque Deus in tempore fieri vult (ullo modo)  
ea reipsa fiunt in tempore. Et quæcunque in tempore fiunt,  
ea Deus ab æterno præcisè definivit. Sect. 15.

7. Quæcunque in mundo fiunt (tam mala, quàm bona)  
ea ex absoluto decreto, & speciali præfinitione Dei fiunt.  
Sect. 56. & 58. & 130.

8. Quidquid Deus præfinit, id necessariò evenit, etiam-  
si per naturam aliter evenire posset. Et sic omnia necessariò  
fiunt, quoad primam causam, h. e. quoad æternum Dei de-  
cretum. Sect. 76. & 128.

9. Quidquid Deus facere & potest, & vult (puta ullo mo-  
do) id reipsa facit. Et quidquid non facit, id facere vel non  
potest, vel non vult (ullo modo.) Sect. 71. & alibi passim.

#### EXAMEN.

**H**Abes hîc, Clariss. Vir, fundamentales assertiones tuas,  
& quasi *κρίσις δόξας*, ad *primum* hoc caput pertinentes.  
Quæ si vel solæ veræ sunt, tum sanè cætera, quæ deinceps ijs  
superstrues, dogmata omnia bene habere fatendum est. Sin  
falsæ & absurdæ sunt (ut ego quidem cum plerisque Chri-  
stianis existimo) tum & porismata omnia, quæ necessariò  
hinc manant, falsæ & absurda esse, unaque cum fundamen-  
tis suis corruere necesse est. Puto autem, vel ex sola thesum  
ipsarum recensione, falsitatem earundem aliquatenus ap-  
parere:

3  
parere: quippe quibus semel admissis, infinita penè absurda  
consequi oportet: quæ partim sanctissimam Dei naturam,  
partim optimam & justissimam ejusdem voluntatem, in S.  
litteris patefactam, admodum obscurant: ac proinde veram  
in Deum fidem, seriumque pietatis studium, valde labefa-  
ctant. Quod ut aliquanto clarius hîc ostendatur, Examen  
singularum breve subjiciam, tibi que ipsi in timore Dei am-  
plius id considerandum relinquam.

*Ad 1.* Si nulla de nobis est *conditionata* Dei voluntas,  
sed omnis *absoluta* & præcisa: tum sequitur, plerasque Dei  
promissiones, & comminationes, simileque sententias, ad  
salutem, aut damnationem hominum pertinentes, omnino  
vanas & ociosas esse. Quod absit. Ratio connexi est, quia  
sententiæ istæ frustra nobis proponerentur: quippe quæ ve-  
ram Dei voluntatem minimè nobis explicarent: quum hæc  
quidem absoluta esse dicatur, illæ verò conditionatæ sint.  
Verbi gr. inquit Deus: *Si credideris, servaberis. Si impius se*  
*averterit ab impietate sua, peccatorum ejus non recordabor am-*  
*plius.* Item, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Nisi quis*  
*renatus fuerit, non videbit regnum Dei, &c.* Et tales sententiæ  
vel sexcentæ huc citari possent. Quæ si veram Dei volunta-  
tem non continent, quorsum nobis proponuntur? An ut ijs  
deludamur, ac decipiamur? Absit. Sin illam continent (ut  
sine dubio continent) tum certè eandem aliquando condi-  
tionatam esse oportet. Cujus contrarium tamen assertio tua  
continet. De qua plenius infra Cap. 2. videbimus, Deo fa-  
vente.

*Ad 2.* Si nulla est voluntas Dei *consequens*, sive quæ actus  
nostros aliquatenus consequatur: tum sequitur, aut nullam,  
aut injustam & irrationabilem, esse voluntatem Dei *retri-*  
*buentem*, h. e. tum præmia, tum poenas erogantem: ac proin-  
de falsa esse omnia illa Scripturæ dicta, quæ duplicis merce-  
dis, partim justis, partim injustis, à Deo jam olim constituta,

Rom. 10.  
Ezech. 18.  
Luc. 13.  
Iohann. 3.

<sup>a</sup> Vide  
*Math. 5.*  
*Et 16.*  
*Rom. 2.*  
*2. Cor. 5.*  
*Apo. 22.*

*1. Sam. 2.*  
*Ioh. 14.*  
*Et 16.*  
*Mat. 25.*

*Psal. 81.*  
*Esa. 48.*  
*Luc. 19.*

mentionem faciunt. Quod absit. Ratio connexi est, quia & iustitiæ, & sapientiæ Dei repugnat, vel præmia, vel pœnas cuiquam nominatim decernere, cuius vel obedientiam, vel culpam ipse nullam præviderit. Quare hic ipse ordo etiam in executione decreti semper apparet, h. e. in actuali iustorum remuneratione, & impiorum punitione. Vnde illud, *Honorantes me honorabo: contemnentes me contemnentur, &c.* Item, *Si quis diligit me, diligetur à patre meo, &c.* Item, *Pater vos diligit, quia vos me dilexistis, &c.* Item, *Abite in ignem æternum, &c.* *Non enim cibastis me, &c.* At decretum executioni conforme esse oportet, quoad modum formalem, & ordinem partium: nisi externam Dei actionem internæ contrariam statuere, & porro ipsum Deum mutabilem & inconstantem asserere velimus. Quod per absurdum esse tute ipse haud dubie concedes.

*Ad 3.* Si nullum tale in Deo *desiderium* est, tum Deus aut falsò, aut saltem improprie, conversionem ac salutem nostram optare, ac desiderare dicetur. V. gr. cum inquit: *Vitinam populus meus intelligeret &c. Vtinam ad mandata mea attendisses &c. O si scires, quæ ad pacem tuam faciunt &c.* Falsò autem hæc dici, nemo pius dixerit. Sed neque improprie dici, vel inde constat, quòd nulla tropi necessitas hinc apparet: quum Deus verè quidem ac proprie, sed tamen absque omni defectu & infirmitate, hæc talia optare ac desiderare possit, & soleat: ut qui liberè prorsus, ac contingenter, hæc talia fieri à nobis velit: eoque potentius aut efficacius ea, quàm per modum voti ac desiderij, velle non possit. De quo aliàs uberius, præsertim in ipsa Collatione.

*Ad 4.* Ex ijs quæ modò dicta sunt de *desiderio* Dei, satis apparet, aliquam in ipso veram esse *velleitatem*, seu talem circa nos voluntatem, quæ nõ semper à nobis, aut in nobis, ipso externo actu impleatur. Desiderium enim est species huiusmodi voluntatis. Adde, quòd alioqui falsò testaretur  
 Deus,

Deus, velle se, ut peccatores resipiscant & vivant, &c. contraq;  
nolle, ut quisquam nostrum pereat, &c. Item, hanc esse voluntatem  
suam, ut in Christum credamus, & sanctè vivamus, &c. Nam &  
Scriptura, & experientia, palàm testantur, hanc Dei volun-  
tatem externo effectu sapissimè carere: h. e. à plurimis eo-  
rum, quibus ipsa serió proponitur, securè negligi. Denique  
pleraque Dei præcepta, & promissa, sic comparata sunt, ut,  
quamvis veram Dei voluntatem contineant, non semper  
tamen effectum suum in hominibus sortiantur. Aliqua igitur  
velleitas in Deo necessariò agnoscenda est.

*Ad 5. & 6.* Si res ita habet, tum nullum in mundo verum  
peccatū admitti potest. Peccatum enim est, divinæ legis præ-  
varicatio. Et lex est, expressa divina voluntatis imago. Qua-  
re si nihil contra, aut præter hanc fieri potest, sequitur nec  
præter, aut contra illam quidquam fieri posse. Ergo nec ju-  
stam pœnam cuiquam infligere Deus potest: quippe quæ  
veram culpam necessariò præsupponit: juxta illud, *Anima*  
*quæ peccaverit, morietur, &c.* Præterquam quòd mera tyran-  
nis est, ob factum prorsus inevitabile quemquam punire.  
Ergo nec sine hypocrisi mandare Deus nobis potest, ut pec-  
cata vitemus: siquidem hæc omnia ab ipso præfinita, eoque  
prorsus inevitabilia sunt: quum voluntati Dei absolutè ali-  
quid præficienti (qualis hæc esse dicitur) resistere nemo pos-  
sit. Ergo & vana est illa precatio, *Fiat voluntas tua in terra, si-*  
*cut in caelo.* Frustra enim id fieri petimus, quod semper ac ne-  
cessariò fit, & cujus contrarium fieri nunquam potest. Ergo  
denique nemo plus boni facere potest, quàm re ipsa facit:  
nec mali plus omittere, quàm re ipsa omittit. Quorsum igitur  
tot hortationes, & objurgationes, in Scriptura passim ob-  
via? V. gr. *Desinite male facere, discite bene agere, &c. Adjicite*  
*fidei vestrae virtutem, &c. Memento, unde excideris, & resi-*  
*piſce, &c.* Nam si theses istæ veræ sunt, certè omnia rerum  
eventa, tam mala, quàm bona, merè fatalia sunt: eoque stu-

dium pietatis, ac virtutis, ociosum prorsus ac frustraneum est. Quo nihil certè absurdius dici potest.

*Ad 7. & 8.* Eadem absurda omnia hinc sequuntur, quæ ex proximè præcedentibus: immò plura, & quidem multò evidentius. Si enim ita res habet, ut hîc dicitur, tum nulla certè est arbitrij nostri libertas, nullaque rerum ullarum contingentia, nisi verbalis tantùm & imaginaria. Quare nec virtuti, nec vitio, locus ullus superest: eoque nec præmijs, nec pœnis, justis quidem & rationabilibus. Quorsum igitur hortationes ad bonum? dehortationes à malo? Quorsum promissiones, & comminationes? item præcepta, & prohibitiones? Si enim *Necessitas* inevitabilis undique nos constringit (qualis certè esset, quæ à prima causa proficisci dicitur) tum Libertas arbitrij nulla nobis superest: eoque nec obedientia, nec inobedientia vera, h. e. verè libera & voluntaria, locum in nobis habere potest. Quare nec illam remuneratio, nec istam punitio justa, excipere potest. Vnde porrò & justitiæ, & veritati, & sapientiæ Dei, plurimùm in his rebus decederet. Neque hoc tantùm, sed & Religio ipsa tandem penitus periret: ut quæ sine studio pietatis nulla sit. At quomodo cum certa persuasione fatalis illius Necessitatis stare potest studium ac cura bene operandi, aut peccata vitandi? Vana enim est, ipso Christo teste, omnis sollicitudo de ijs, quæ nullo modo præstare possumus. Multò magis de ijs, quæ ne liberè quidem velle possumus. At quæ præcisè ad unam oppositorum partem ab ipso Deo jam olim definita sunt, ea certè necessaria sunt: & proinde libertati nostræ minimè subjacent. Quare si omnia divinitus ab æterno sic præfinita sunt, ut respectu hujus præfinitionis nihil non necessariò fiat, sequitur nihil omnino liberè aut contingenter fieri posse. Nam quidquid de contingente rerum *natura* excipiatur, certum tamen est, nihil verè contingens dici posse, quod præcisè ab ipso Deo ad unam partem determinatum est,

*Matth. 6.  
Luc. 12.*

est, quodque idcirco aliter quam fit, fieri nullo modo potest. Contradictio enim est, aliquid hoc sensu necessarium, & simul tamen liberum, seu contingens, revera existere. Quare aut cumulus ille absurdorum, quem dixi, tibi admittendus est: aut potius hæ theses retractandæ sunt.

*Ad 9.* Vtraque hæc regula sæpe fallit, nempe in voluntate Dei *conditionata*, & *inefficaci*, de qua supra: per quam, scilicet, aliquod præmium, aut beneficium, conferre nobis vult Deus, siquidem nos, ipso juvante, officium nostrum fecerimus: aut vicissim poenam aliquam nobis infligere, si contra nos gesserimus. <sup>a Viæ</sup> Tam enim non semper facit, quid <sup>Ier. 18.</sup> absolute facere potest, & aliquo modo facere vult: puta <sup>Ezech. 18.</sup> eo modo, qui libertatem arbitrii nostri non tollat. Non <sup>Esa. 1. & c.</sup> enim coactè aut necessariò, sed liberè ac voluntariè, nos sibi obedire vult Deus: h. e. ita ut contrarium quoque evenire posse velit. Limitanda igitur est hæc thesis, de quæ *absoluta* tantum, & *efficaci* voluntate Dei intelligenda: per quam ipse solus absq; nobis aliquid præcisè facere vult, h. e. absque omni mutabili conditione, arbitrio nostro permiffa. Hic enim valet illud, *Omnia quæcumque voluit fecit.* Item, <sup>Psal. 115.</sup> *Voluntati ejus quis resistat?* Illic verè locum habent ea, quæ <sup>Rom. 9.</sup> supra de optatione ac desiderio Dei diximus, quæque alibi de querelis & exprobrationibus divinis leguntur. Qualis est illa Christi, *Quoties volui liberos tuos congregare, & tu noluisse?* <sup>Mat. 23.</sup> Sed hæc de re plenius infra. Itaque hæc de primo capite sufficient.

## CAPVT II.

*De speciali voluntate Dei circa Religionem, præsertim quæ in illius promissis & præceptis consistit.*

**V**idimus *primum* ac *præcipuum* doctrinæ tuæ fundamentum, de voluntate Dei circa nos in genere. Sequitur *alterum*, de speciali ejusdè voluntate circa Religionem,

gionem, præsertim de voluntate promittente, ac præcipiente. De qua ita passim in Notis tuis doces.

1. Promissio Dei non est cum voluntate ejus confundenda. Nempe, quia una interdum ab altera discrepat: Sive quia non semper id vult Deus, quod promittit. Sect. 4.

2. Nec præceptum Dei cum voluntate ejus confundendum est. Nempe, quia non semper id vult Deus, quod præcipit, aut prohibet: sed sæpè diversum, immò contrarium. Sect. 5. & 10. & 13. & 74.

3. Nec Sententia Dei, quam verbis enunciat, cum voluntate ejus permiscenda est: puta, ob eandem causam. Sect. 14.

4. Mutat Deus interdum sententiam, sed nunquam voluntatem. Ibidem Sect. 14.

5. Si Deus præcepta sua, propriè loquendo, vult à nobis servari, tum fieri aliter non potest, quin nos illa servemus: neque Deus tum velle potest, ut aliter evenire possit. Sect. 5.

6. Statuendū est nobis, Deum id velle à nobis fieri, quod nobis præcipit: itemque velle à nobis omitti, quod nobis vetat. Et tamen ille interim sæpè diversum vult. Sect. 10.

7. Deus quædam præcepit *Abrahamo, Pharaoni, Judæis, &c.* quæ tamen ab ipsis fieri noluit. Sect. 10. & 16. & 24. & 96.

#### EXAMEN.

**I**N his thesibus fanè præcipuas divinæ voluntatis species, quæ quidem Religionem, ac salutem hominum, per se concernunt, si non falsas, & imaginarias, saltem incertas & dubias, reipsa efficit: prout ex sequente breviculo examine patebit. Respondeo igitur ordine ad singulas.

*Ad 1. & 2. & 3.* Ergo ne *simulatorem*, aut *hypocritam* interdum agit Deus? aliud nempe intus volens, & aliud foris promittens, aut præcipiens, aut alio quovis modo significans? quum tamen ipsius *promissa omnia etiam & Amen* sint: & *præcepta ejusdem certa & fidelia; sententiæq; omnes firmæ ac veraces,*

2. Cor. 1.  
Psal. 12.  
& 19.  
& 119.

9  
veraces, esse dicantur: quumque hæc omnia nomine voluntatis Dei passim in Scripturis orrentur: sicut cap. 1. ad thesin 3. & 4. ex parte vidimus. Ne jam dicam, incertam reddi fidem nostram, & languidum obedientiæ studium, si persuasum nobis fuerit, non semper id Deum revera velle, quod vel promittit, vel præcipit, vel alio quovis modo se velle nobis indicat: quum peccatum sit, quidquid ex fide non fit, h. e. ex certa divinæ voluntatis persuasione: quumque præter, aut contra veram Dei voluntatem, nihil nisi frustra sperare, aut conari nos posse, optimè sciamus. Absurda sunt, quæ sequuntur. Ego & quæ antecedunt: h. e. theses tuæ, unde illa necessariò sequuntur.

Rom. 14.

Rom. 9.

Ad 4. Immò integram sententiam, & quidem rectè intellectam, non mutat Deus. Nempe, quia voluntatem suam non mutat, quam illa fideliter semper exprimit: sed interdum cum conditione, vel tacita, vel expressâ conjunctam: sicut varia S. literarum exempla docent, in historijs præsertim populi Israëlitici, item Elis, Saulis, Achabi, Ezechia, Niveitarum, item Pauli navigantis, & alia aliorum, in V. & N. Testamento passim obvia.

Num. 14.

1. Sam. 2.

1. Reg. 13.

1. Reg. 21.

2. Reg. 20.

Ion. 3.

Act. 27.

Ad 5. Ergo vel non verè vult Deus sua præcepta ab omnibus ijs servari, quibus ea servanda proponit: quod sanè hypocriticum est, eoque à Deo alienum: vel ab his omnibus illa necessariò ac perpetuò servantur: atque ita nullum uspiam, saltem inter Christianos, peccatum revera existeret: vel denique non potest Deus obedientiam verè liberam à nobis exigere, si velle non potest, ut contrarium evenire possit. Id quod S. scripturæ simul & experientiæ contrarium est. Sed nimirum confunditur hîc abs te voluntas Dei conditionata, cum præcisa & absoluta: Item ea, quâ ipse facere aliquid vult, cum eâ, quâ fieri aliquid à nobis vult, & quidem liberè fieri. Ex qua confusione multiplex error necessariò existit: sicut ex seqq. amplius elucefcet.

B

Ad

*Ad 6.* Ergone interdum statuendum nobis est, *tenebras esse lucem?* h. e. falsum esse verum? aut incertum esse certum? Quod ut serio à Deo damnatur, ita ex thesi tua necessario sequitur. Si enim non semper id vult Deus, quod præcipit, aut prohibet; sed sæpè diversum, immo contrarium: quomodo tum citra periculum erroris, ac falsitatis, contrarium statuere semper possumus? Et quæ erit hæc nostra *obedientia*, quæ non *manat ex certa fide?* sive non ex certa divinæ voluntatis persuasione? puta, si ea faciamus, aut omittamus, quæ an Dei voluntati consentanea, necne sint, neque scimus, neque scire possumus? Ne jam repetam, meram *hypocrisin* esse, si quid boni præcipias, aut mali quid prohibeas, cuius contrarium evenire velis: meramque *tyrannidem* esse, alios ob id punire, quod evitari ab illis nullo modo potuit. Quod utrumque vitium à Deo alienissimum est.

*Ad 7.* Immo nihil his omnibus præcepit Deus, quod non verè ab iisdem fieri voluerit: quatenus quidem ipsis, per omnipotentem Dei gubernationem, facere licebat. Et propterea *Abrahamus* quidem præcepto Dei simpliciter paruisse dicitur, h. e. filium suum Deo reverè obtulisse: quousque scilicet offerre, immò etiam mactare, ipsum potuit. *Pharao* autem, & *Iudæi* &c. severè ob id reprehensi leguntur, & graviter puniti, quòd præcepta Dei facere neglexissent. Injusta verò & reprehensio, & punitio, istorum fuisset, si nihil contra veram Dei voluntatem commisissent; immò si veram Dei voluntatem reipsa fecissent: ut quidem ex tua thesi sequitur. Et tantum de hoc quoque capite sufficiat.

*Gen. 22.*

*Iac. 2.*

*Heb. 11.*

*Exo. 7. &c.*

*Act. 3. &c.*

### CAPVT III.

*De speciali voluntate, & Actione Dei, circa peccata  
& pœnas hominum.*

**E**T si jam satis ex antè dictis, præsertim ex *primo* capite, constare potest, quid de voluntate, seu decreto, & operatione

11

tionem Dei circa peccata, & pœnas hominum sentias: adeoque quid sentire hac in parte cogaris, modo constare tibi per omnia velis: tamen hinc quoque tua ipsius verba proferam, ut ex ijs mens tua elucere quàm clarissimè possit. Sic igitur de hoc tertio fundamento sentis, & loqueris.

1. Peccata fiunt Deo procurante, & fieri eadem volente, immò omnino sic volente. Sect. 17. Itē 61. & 64. & passim.

2. Vult Deus iniquitatem fieri, etsi ea non delectatur: sicut ægrotus amarum potum bibere vult, etsi eo non delectatur. Et sic dictum illud Psal. 5. *Non es Deus qui delectetur iniquitate &c.* intelligi debet. Sect. 95.

3. Voluit Deus, ut Iudas Christum proderet, & ut Iudæi ipsum occiderent: quod tamen illis prohibuerat. Sect. 10. & 16. & 24.

4. Consentaneum est voluntati Dei, quod injustum est, h. e. præcepto ipsius contrariū. V. gr. homicidium illud Iudæorum, & proditio Iudæ &c. Ibidē, præsertim Sect. 16. & 24.

5. Omnia fiunt ex decreto Dei, etiam ipsa peccata: & quidem ex decreto absoluto & speciali. Sect. 56. & 58. & 130.

6. Quia Deus justitiam & misericordiam suam patefacere vult, ideò quoque vult, ut peccata fiant. Sect. 61.

7. Quia Deus procurat patefactionē istam justitiæ & misericordiæ suæ, ideò etiam procurat ipsa peccata. Sect. 64.

8. Deus procuravit, ut Absolon stupraret uxores Patris sui: utque Simei Regi suo malediceret, &c. Ibidē, uti & Sect. 17.

9. Deus destinavit omnes homines ad peccata: idque propterea, ut alios ex misericordia servaret, alios ex justitia puniret ac perderet, &c. Sect. 89.

10. Quia Deus peccata permittere decrevit, ideò necesse est ut illa fiant: quia secus frustra decrevisset permittere. Sect. 131.

11. Incredulitas Iudæorum (& similiter omnium incredulorum) pendet à prædestinatione Dei. Idque Apostolus Rom. 9. disertè docet. Sect. 133.

## EXAMEN.

**A**d thesin 1. & seqq. omnes. Si theses istæ veræ sunt, tum necessariò hæc seqq. absurda sequuntur. 1. Deum esse & verum, & præcipuum, immo unicum, omnium peccatorum auctorem: ut quæ ipso non modò simpliciter volente, sed & omnino sic volente, neq; modò omnino sic volente, sed & procurante, ab hominibus fiant. 2. Eundem sæpius verè simulare, sive hypòcriticè agere, puta cùm quædam in verbo suo prohibet: quæ tamen fieri omnino vult, ac procurat. 3. Item injustè ac tyrannicè agere, qui homines ob ea facta puniat, quæ isti per ipsius irresistibilem & efficacem voluntatē necessariò faciant, ac vitare nullo modo possint. 4. Denique insipienter agere, qui cum peccatoribus acerbè expostulet, eosque ad frugem seriò hortetur &c. quum isti, præsertim exitio absolutè jam ab ipso devoti, necessariò peccent, neque converti, aut servari, ulla ratione possint. 5. Si nihil horum est (ut certè nihil esse potest) tum sequitur, nulum revera in mundo peccatum esse: ac proinde vanum esse omne studium peccata vitandi; vanasque leges, & injustas pœnas universas, etiã humanas ac politicas &c. Quæ omnia prorsus impia, & absurda sunt. Ratio hujus consequentiæ in ipsa Collatione plenius ostendetur.

*Ad 2.* Si Deus iniquitatem verè vult, tum continuo sequuntur absurda omnia, jam modò dicta. Et speciatim, Deum aliquando saltem injustū esse, cùm videlicet aliquid injustū vult: quia voluntas semper naturam sequitur. <sup>a</sup>Deinde si Deus iniquitatem hoc modo vult, quo ægrotus potum amarum bibere vult: tum sequitur, Deum impotentem esse; eoque minimè beatum esse: ut qui externâ egestate, seu necessitate, miserè constringatur. Si denique locus ille Psal. 5. *Non es Deus volens iniquitatem &c.* malè huc usque translatus fuit: tum sequitur, plerosq; D d. in re tam nota, & obvia, turpiter hætenus errasse. Quod quidem vix probabile est.

*Ad*

<sup>a</sup>Vide Psal.  
11. vers. 9.  
Iustus Do-  
minus, in-  
finitas dili-  
git.

*Ad 3. & 4.* Primò nusquam hæc scripta sunt in verbo Dei, nec difertè, nec implicite. Immo contrarium ijs locis extat, ad quos hîc haud dubiè respicis. Deinde & *hypocrisis*, & *tyran-*  
*nis*, hîc Deo non obscure tribuuntur: Illa, dum aliud præci-  
 pere, aut prohibere, aliud velle dicitur. Hæc, dum homines  
 ob id punire consequenter asseritur, quod ipse ab ijs fieri vo-  
 luit, & cujus ipse verus, ac præcipuus, immò unicus, autor ex-  
 titit. Denique si Deus aliquid injustum vult, tum ipse vel  
 injustus est per naturam: vel aliquid suæ naturæ contrarium  
 vult, aut saltem velle potest: vel partim justus est, partim in-  
 justus; puta justus naturâ, injustus voluntate. Quæ omnia  
 profus *ἀνόμια*, & dicta horrenda sunt.

*Act. 1. &  
2. & 3. &  
7. & 8.*

*a Vide con-  
trâ Psal.  
145. 17.  
Iustus Do-  
minus in  
omnibus  
vijs suis.*

*Ad 6. & 7. & 8. & 9.* Primò ex hisce thesibus sequuntur  
 absurda omnia, sæpè jam dicta: nempe, cum Deus peccata  
 omnino velle, & procurare, hominesque ad ea destinare di-  
 citur. Deinde neque stuprum Absolonis, neq; maledictum  
 Semei, sed tantum ipsam castigationem Davidis per illa, pro-  
 curasse Deus dicitur, locis quos hîc innuis. Denique ratio,  
 hîc aliquoties abs te tradita, planè falsa est: tum quia justi-  
 tia, & misericordia, latè sumta, a etiam in non peccatores  
 exerceri possunt: tum quia exercitium justitiæ punientis, &  
 misericordiæ parcentis, ad consequentem Dei voluntatem,  
 non ad antecedentem præcisè pertinent: tum denique quia  
 hæc utraque sufficienter in verbo Dei nobis patefieri potest,  
 absque ullo externo ac reali erga homines exercitio: prout  
 consideranti per se patet.

*2. Sam. 12  
& 16.*

*a us Psal.  
40. & 145  
&c.*

*b Vide cap.  
1. ad 2.*

*Ad 10.* Si ita est, tum sequitur, decretum permittendi pec-  
 catum parere ipsum peccatum, sive esse veram peccati cau-  
 sam: & quidem causam inevitabilem, seu necessariam, h. e.  
 cujus vi peccata fiant inevitabiliter ac necessariò. Effectus  
 enim, quem fieri necesse est, causam prærequirit planè ne-  
 cessariam. Vndè cumulus ille absurdorum, supra dictus, ne-  
 cessariò statim existit. Deinde nihil in hoc genere minùs ne-

cessé est, quàm quod hîc necesse esse à te dicitur : quum nec permissio, nec volûtas permittendi, quidquam in re permissa, aut permittenda, per se causet, nedum necessitet: sed tantùm efficax alienæ actionis impedimentũ tollat : h. e. actionem impediens ipsius permittentis suspendat ; & ei, cui permissio fit, vires ad agendum integras ac liberas relinquat. Vnde nulla peccandi necessitas oriri potest : licet decretum hac de re nunquam frustra fiat.

*Ad 11.* Quomodo verò illa ab hac pendet? Annon ut effectum à sua causa? Si sic: annon tum ipse Deus est vera causa incredulitatis? quippe unica causa prædestinationis, unde incredulitas certò pendere, sive oriri dicitur? Hinc verò absurditates illæ, sæpè dictæ, necessariò profluunt: quæ quidem tales sunt, ut meritò pium pectus commovere debeant. In loco autem Rom. 9. non incredulitatem à Reprobatione, sed hanc potiùs ab illa pendere, perspicuè docetur. *Qua* de re in Collatione ipsa commodiùs agetur. Et tantùm de *tertio* capite.

## CAPVT IV.

*De Bonitate, gratia, & misericordia Dei  
erga homines.*

**H**As quidem *proprietates* Dei, seu mavis externam harum energiam, nimium à te coarctari; contraque Deum erga homines in negotio salutis illiberalem, nimisque parcum, ac nimis severum (ne dicam crudelè, avarum, ac malignum) à te induci, ex sequentibus tuis assertionibus haud obscurè constabit. In quibus sententiæ tuæ, de Inconditionata prædestinatione &c. *quartum* principale fundamentum habemus. Sic autem illæ sonant.

1. Non vult Deus singulos, sive *omnes omnino*, homines salvos fieri; sed tantùm *omnis generis*, h. e. aliquos ex omnibus. Neque illud, sed hoc, sentit Apostolus 1. Tim. 2. 4. cùm ait,

ait,

ait, *Deum velle omnes homines salvos fieri &c.* Sect. 4. & 69. & 81. & alibi.

2. Non vult Deus conversionem cujuslibet peccatoris, sed eorum tantum, qui reipsa convertuntur. Neque ipse Ezech. 33. dicit, *Se velle, ut impius convertatur*: sed tantum, *se delectari, quum convertitur impius.* Sect. 5. & 95. & 119.

3. Deus non tenetur omnibus hominibus bene velle. Immo nulli bene velle tenetur. (puta ullo modo) Sect. 8.

4. Gratia salutaris non offertur omnibus hominibus: ne quidem sub N. T. Idque ita fit ex absoluta, & primaria, sive antecedente, Dei voluntate. Sect. 19. & 104.

5. Eadem hac gratia nullatenus est conditionata; sed profus absoluta. Et tamen remissio peccatorum, & salus aeterna, à conditione fidei dependent. Sect. 18.

6. Deus interdum obliviscitur clementiae suae in executione iudicij sui. (puta simpliciter, & universaliter, sive omni modo.) Sect. 25.

7. Promissiones Euangelij non sunt universales respectu omnium hominum, licet vocatorum; sed tantum respectu credentium. Sect. 122.

8. Per Deum stat, quo minus homines, licet vocati, in Christum credant, & salvi fiant. Sect. 92.

9. Non studet Deus omnes homines (licet vocatos) per Christum servare: qua non omnes reipsa servat. Sect. 102.

10. Deus non dat gratiam sufficientem ad resipiscendum ijs, qui reipsa non resipiscunt. Sect. 110.

11. Deus ne quidem omnes vocatos servari vult, aut in Christum credere: sed eos tantum, qui reipsa credunt, & servantur. Sect. 123.

12. Voluntas servandi homines est in Deo particularis: idque ex antecedente decreto, de certis individuis absolute ac precise facto. Sect. 124.

EXA-

**S**ententia igitur tua in hoc capite est: Deum in negotio salutis non esse erga omnes homines reipsa bonum, ac benignum: nec velle, ne quidem nunc sub N. T<sup>o</sup>, gratiam suam omnibus offerre: Immo ne vocatos quidem omnes revera in Christum credere, aut salvos fieri velle: Proinde nec gratiam huc necessariam, aut sufficientem, istis omnibus largiri: sed contra paucos tantum aliquos servari velle, idque ex absoluta & antecedente sua voluntate, nullas hominum qualitates respiciente: Ideoque his solis gratiam huc necessariam in tempore reipsa tribuere: idque totum præcise ab æterno sic statuisse. Breviter: gratiam & favorem Dei salutarem, ex absoluto & antecedente Dei decreto, ad paucos quosdam homines, nudè consideratos, etiam sub N. Testamento ita adstringis, ut cæteros omnes, qui reipsa non servantur, licet alioqui vocatos, ab hac Dei benignitate præcise ac peremptoriè ab æterno exclusos esse statuas.

*Iob. 3.*

*1. Tim. 2.*

*Tit. 2.*

*Act. 7. 6.*

*13. 66.*

At huic Sententiæ reclamant plurima S. Scripturæ testimonia: præsertim illa omnia, quæ generalem Dei philanthropiam, & gratiam omnibus hominibus expositam, saltem omnibus omnino vocatis verè communem (maximè sub N. Testamento) egregiè nobis commendant: quæque non per Deum, aut defectum gratiæ divinæ, sed per homines ipsos tantum, quò minus in Christum credant, atque ita ferventur, reverà stare affirmant &c. De quibus in Examine speciali statim plenius.

Nunc tantum sequentes cautiones obiter notandas propono: ne sententia mea sinistrè accipiat, neve uspiam in hoc sublimi argumento facilè impingamus.

1. Deum quidem ex naturali sua bonitate, eoque ex antecedente voluntate sua, omnibus hominibus bene semper velle, etiam in negotio æternæ salutis: utpote creaturis suis eximjis, & quidem ad imaginem suam, eoque ad salutem, ab  
initio

initio conditis : sed ex *consequente* tamen voluntate , quæ sapienter ac justè morales actus nostros respicit , nominatim solis pijs ac credentibus salutem , impijs verò & incredulis exitium , præcisè jam olim adjudicasse.

2. Ultrò ipsum quidem offerre suam in Christo gratiam , & salutem , omnibus omnino vocatis : idque seriò , & sincero animo ipsos convertendi , æternùmque servandi : sed non conferre illam reipsa , nisi servantibus æquissimam liberæ acceptionis nostræ conditionē , de qua plenius infra dicitur.

3. Non esse nimis curiosè quærendum de ijs hominibus , qui prorsus extra vocationem sunt ( quos solus Deus judicat 1. Cor. 5. ) sive qui fortè nullo modo ad gratiam Evangelij divinitus vocantur : sed de *vocatis* tantùm agendum nobis esse : saltem de his solis , & omnibus , præcipuè laborandum hïc esse , ob causas infra obiter exponendas.

4. Et tamen de alijs illis quoque firmiter statuendum ( si modò aliqui verè tales sunt ) nullam ijs injuriam à Deo fieri : adeoque ipsos non ex antecedente & præciso aliquo decreto ; sed ex consequente Dei voluntate , ac justo judicio ( quo peccata ipsorum enormia , licet fortè nobis incognita , pro meritis puniantur ) in hoc negotio negligi , ac præteriri . Nunc speciatim assertiones tuas breviter excutiamus.

#### EXAMEN SPECIALE.

**A**D 1. Si de *antecedente* Dei voluntate hïc sermo est ( ut quidem apparet ) tum sententia falsa est : unàque expositio tua hujus dicti Apostolici . Hactenus enim non aliquos tantùm ( h. e. solos electos , & credentes ) sed omnes omnino homines , saltem omnes omnino vocatos , reverà salvos fieri vult Deus : utpote per naturam *φιλάνθρωπος* , eòque *Servator omnium hominum , sed maxime credentium : Nolens ullos ex nobis perire , sed omnes ad pœnitentiam tendere &c.* Atque hunc esse genuinum S. Apostoli sensum in loco citato , per istas

Tit. 2.

1. Tim. 4.

2. Pet. 3.

1. Tim. 2.

C

omnes

omnes evincunt : præsertim illius hortatio principalis ad orandum *pro omnibus hominibus* ; & addita hortationi gravis ætiologia ; similisque appellatio *omnium magistratum*, quæ ibidem præcedit. De quibus amplius in Collatione.

*Ad 2.* Immò cujuslibet peccatoris : quem quidem Deus ad conversionem seriò vocat. Quia secus & ille frustra vocaretur : & hic frustra illum non obtemperantem reprehenderet, injustèque puniret. Quæ omnia sapientiæ, bonitati, & justitiæ Dei planè contraria sunt. Sive autem hoc, sive illo modo, locus hîc citatus vertatur : illud semper hinc cõsequitur, velle Deum seriò, ut omnes impij, jam vocati, verè resipiscant. Nam quod Deo per se gratum est, sive quo ipse delectatur, quodq; seriò mandat, id fieri certè aliquo modo vult: quum ipsa præceptio, & complacentia, voluntatis quædam species sint: uti per se notum est. Ne dicam, in re tam obvia non facilè à recepta versione discedendum esse.

*Ad 3.* Etsi non teneretur Deus ex debito, aut aliquo nostro merito, nobis bene velle, præsertim quoad omne genus bonorum: tamen ex lege naturæ suæ (h. e. naturalis suæ bonitatis &c.) non potest nobis, quippe creaturis suis, & quidem ad imaginem suam conditis, aut malè, aut nihil omnino velle. Ergo saltem aliquo modo bene nobis omnibus velle, ex seipso teneretur : licet interim inæqualiter, pro sapientia & libertate sua, benevolentiam hanc suam erga nos dispenseret. Ita que in Scriptura dicitur *bonus esse universis : etiam ingratis & injustis &c.* in hoc saltem seculo. Neque natura Dei aliter ferre potest. Omne enim bonum, à se creatum, Deus naturaliter amat: præsertim verò imaginem suam. Et proinde in quibus hanc videt, eis non potest non ea saltem bona velle, quæ ipsis, ad finem à seipso propositum, omnino necessaria esse novit.

*Ad 4.* Contrà est illud Apostoli : *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus &c.* Item, *Vult Deus omnes ad agnitio-*

*nem*

*nem veritatis venire &c.* Contrà etiam est generale Christi Mat. 28.  
mandatum, de *Euangelio omnibus creaturis predicando*, de que Mat. 17.  
*omnibus ubiq; ad pœnitentiam vocandis &c.* Quod etiam Apo- Colof. 1.  
stoli suo tempore strenuè fecerunt. Si qui tamen hætenus Rom. 10.  
in hac parte à Deo planè præteriti fuerunt, (quod non facile  
asserendum videtur) ijs suis enormibus peccatis pœnam hanc  
velut extra ordinem haud dubiè commeruerunt.

*Ad 5.* Immò hætenus *conditionata* est, quatenus ipsius  
primaria effecta, quæ hîc exprimuntur, citra conditionem fi-  
dei, te ipso etiam fatente, nemini re ipsa contingunt: nempe  
remissio peccatorum, & vita aeterna. Itaq; hoc quidem sensu  
cõtradictio est in hac tua thesi. Ne jam dicam, favorem Dei  
(juxta distinctionem divinæ voluntatis) alium esse antee-  
dentem, alium cõsequentem. De illo dicitur: *Sic Deus dilexit* Ioh. 3.  
*mundum &c.* Item, *ipse prior dilexit nos*. De isto: *Si quis diligit* 1. Ioh. 4.  
*me, diligitur à Patre meo &c.* Item, *Pater vos diligit, quia vos me* Ioh. 14.  
*dilexistis &c.* Itaque hîc quidem vera conditio est, etsi non 1. Ioh. 16.  
illic: prout intelligenti patet.

*Ad 6.* Contrà est illud Davidis: *Misericors est Dominus* (seu Psal. 145.  
clemens & benignus) *in omnibus operibus suis*. Si in omnibus:  
ergo nullum hinc Dei opus excipiendum est. Nam ne aeter-  
num quidem iudicium, omnium alioqui severissimū, Deus  
olim exsequetur eo rigore, quo absolutè exsequi posset. Et  
certè si per *naturam* clemens est Deus, h. e. ad iram tardus,  
ad misericordiam propensus, & per se beneficus, (ut certè est) Exod. 34.  
tum nihil agit, aut agere potest, absque omni omnino cle- Pf. 86. &c.  
mentia, etiam latissimè accepta. Nempe, quia seipsum, sive  
naturam suam, abnegare nunquam potest: prout Apostolus 2. Tim. 2.  
alicubi testatur.

*Ad 7.* Si hoc simpliciter verum est, tum sequitur, *promis-*  
*siones* istas ad incredulos, sive sponte ac per malitiam nō cre-  
dentes, licet alioqui divinitus vocatos, nullo modo pertine-  
re: nec proinde eosdē incredulos quidquam peccare, *promis-*

tionibus istis non credendo: adeoque has illis temerè ac frustra proponi: ut quæ nihil ad ipsos attingant. Immo falsum illi revera crederent, si promissionibus hisce fidem haberent. Absit autem, ut Deus quidquam falsum credere aliquem jubeat: aut temerè credendum aliquid cuiquam proponat. Contrà verò, si vocati omnes promissionibus hisce credere tenentur (quod quidem ex generali credendi præcepto, item ex pœna incredulis omnibus decreta, certum est) tum sequitur eas, saltem respectu omnium vocatorū, licet fortè nunquam credentium, verè universales esse: Non quidem quoad realem *fruitionem*, seu mavis fructuosam possessionem, ac perceptionem, quippe quæ pœnitentiam, & fidem, semper præexigit: sed quoad ipsam gratiosam Dei *oblationem*, ac sinceram *presentationem*, sive quoad seriam Dei minimeque simulatam, sed tamè conditionatam, promissi præstandi voluntatē. Quæ quidem voluntas, & oblatio, inter alia quoque continent sufficiens Dei auxilium ad credendum, & resipiscendum: quod vocatis omnibus, ex antecedente ac primaria Dei voluntate, pro cujusque statu, proque loco & tempore, liberaliter satis exhiberi solet. De quibus infra plenius.

*Ad 8. & 9. & 10.* Si ita est, frustra igitur hi omnes ad salutem, & ad fidem, ab ipso Deo vocantur: & Deus vocando ipsos revera fallit, ac deludit: item ob incredulitatem, & impœnitentiam, iniquè eosdem reprehendit ac punit. Ne jam dicam, ipsum Deum contrà testari, se nihil non dare, ac nihil non facere, (ex sua quidem parte) quod omnibus omnino vocatis ad conversionem, & salutem, sufficiens simul & necessarium sit: neque per se, sed per homines tantum stare, quò minùs hi convertantur, & porrò serventur. Objectio autem tua, ab eventu ad voluntatem Dei, quam subinde affers, negativè non procedit: quum ne affirmativè quidem semper valeat: uti supra ex parte cap. 1. & 2. vidimus.

*Ad 11.* Cur igitur Deus hos omnes ad se vocat? Et cur eosdem

*Math. 3.*

*& 10.*

*& 28.*

*Ioh. 3. &c.*

*Act. 2. &c.*

*Esai. 1. &*

*5. & 48.*

*& 65. &c.*

*Proverb. 1.*

*& 9. &c.*

*Ioh. 3. & 5*

*& 8. &c.*

eosdem in Christum credere jubet? Quo denique jure non obtemperantes reprehendit, immò severè punit? Certè hîc quidem *tyrannis*, illic verò *hypocrisis*, utrobique denique *iniquitas*, & *insipientia*, Deo prorsus indigna, satis apertè elucet: sicut ex antedictis abundè intelligi potest. Conferantur tantùm loca paulò antè citata: & pugna statim inter ipsa, tuamque hanc thesin, manifestè patebit.

*Ad 12.* Est quidem voluntas hæc Dei *particularis*, quatenus præscientiam finalis eventus præsupponit, seu quatenus spectatur in ordine ad præscientiam, ut consequens, & simul absoluta. Sed quatenus eadem est aut antecedens, aut merè conditionata, eatenus ad omnes omnino homines, præsertim vocatos, generaliter extendenda est. Haftenus enim *verè* *vult Deus omnes homines salvos fieri: nec vult ullos perire, sed omnes respicere, &c.* tum quia omnium salute, & conversione, per se delectatur: tum quia vocatis omnibus salutem ac justitiam, sub conditione fidei &c. serîò offert: tum quia ipsis sufficientem gratiam ad credendum &c. in verbo suo liberaliter exhibet: modò ipsi eam non contemnant, sive competenter accipere non negligant. Quod ipsum etiã ab omnibus istis, quippe jam aliquatenus à gratia Dei præventis, haud difficulter præstari potest: prout infra plenius audiamus, Deo dante.

1. Tim. 2.

2. Pet. 3.

Ezech. 33.

Ro. 1. &amp; 5.

Act. 13.

&amp;c.

## CAPVT V.

*De justitia & potestate Dei, in negotio salutis,  
ac damnationis.*

**N**on dubium est, quin omnia, hucusque à te posita, justè à Deo fieri, sive sub *justa* Dei *potestate* contineri, planissimè credas. Nam alioqui Deum omnia ista & velle, & procurare, seu facere, non diceres: quum Deum suâ natura justum esse, eòq; sua potestate nunquam abuti, nec contra justitiam suam quidquam velle, aut agere

posse, haud dubiè concedas. Itaque reverà de hoc *quinto* fundamento, juxta *quatuor* illa antè posita, sic sentis: prout Sect. 10. & 89. & passim alibi, non obscurè declaras.

1. Deum justè plerosque homines ad æternum exitium, & porrò omnes omnino ad ipsa peccata, præcisè destinasse.

2. Justè eundem velle, ut peccata à nobis fiant, & quidem omnino ea fieri velle: imò hæc ipsa in tempore procurare.

3. Justè etiam homines ob ejusmodi peccata, licet omnino necessaria, & inevitabilia, punire atq; in æternū perdere.

4. Justè præterea quædam præcipere, prohibere, promittere &c. quæ tamen reverà nec in nobis ipse facere, nec à nobis fieri velit.

5. Ad hæc justè pœnitentiam, & fidem, ab ijs exigere, quibus auxilium tamen sufficiens, ac simpliciter huc necessarium, præstare nolit.

6. Deniq; justum esse hujus universi prædestinatorij negotij processum, prout à te hactenus descriptus fuit, & porrò describerur.

#### EXAMEN.

**S**ed hac quidem in re dupliciter erras. 1. dum passim (præsertim Sect. 89.) potestatem Deo prorsus injustam, ac tyrannicam, re ipsa attribuis, eoque à natura ipsius alienam. 2. dum alicubi (præsertim Sect. 10.) sub prætextu occultæ justitiæ, h. e. cujus rationem nos assequi non possimus, aperam hanc multiplicemque injustitiam tegere conaris. De *posteriore* hoc membro aliàs plura dicam, in ipsa Collatione, Deo favente. De *priore* nunc breviter notandum est, fieri non posse, ut Deus quidquam eorum, quæ suprà de ipso asseruisti, salvâ justitiâ suâ (h. e. vera æquitate, ac naturali sanctitate sua &c.) aut velit, aut faciat, seu procuret: quippe quæ omnia per se, & suâ naturâ, prorsus injusta, seu prava, crudelia, & perversa sunt, v. g. homines prorsus innoxios, nihilque mali

mali commertos, absoluto decreto ad æterna supplicia inevitabiliter destinare: immò ad ipsa peccata, & peccandi necessitatē, prius eisdem præcisè deputare: & deinde hos ipsos, propter eiusmodi peccata, à tali Dei decreto pendentia, eoq; prorsus inevitabilia, æternis pœnis afficere &c. Itē aliud mādare, aut vetare, aut promittere, aliud autē revera velle, &c. Omnis enim recta ratio clamat, & ipsum Dei verbum simul attestatur, nullam esse ex hisce thesibus, quæ non aut *hypocrisim*, aut *tyrannidem*, aut similem aliquam *injustitiam*, addo etiam ex parte *insipientiam*, reverà contineat. Annon igitur tandem nos miseri homunciones exhorrescemus, ipsi Deo hæc absurda tribuere? & nominatim apertā *injustitiam* titulo occulte justitiæ, seu juste potestatis, in Deo venditare? Quum contrā Deus ipse justitiā suā hinc vel maximè asserat, quòd ipsa rectæ rationi semper consentanea sit, ut quæ neminem nisi qui sponte peccaverit, puniendum esse dicat: quòdque ipse neminē ob alienā planè culpam pœnā mortis afficiat: nec in promissionibus, aut præceptis suis, quemquam deludat, aut fallat: nec denique cuiquam peccandi, aut pereundi, sed potius omnibus respiscendi, ac salutem consequendi, causa atque auctor existat. Sed de his in ipsa Collatione latius, si Deus permiserit.

Genes. 18.  
Ezech. 18.  
Eccl. 33.  
Rom. 1.  
Eccl. 2. Eccl.  
1. Tim. 1.  
2. Pet. 3.

Nunc autē, occasione sic ferente, alia quædam axiomata tua, de *justitia* ac *potestate* Dei, obiter hîc adscribam: quibus utrumque hoc Dei attributum, etiam extra prædestinationis materiam, non leviter obscuras: sed novā quædam ratione, ac superiori aliquatenus contraria. Nam ut illic & potestatem, & justitiam Dei, ultra yeros limites porrigebas, seu nimium latè ac laxè extendebas: ita hîc utramque nimium contrahis, & velut in angustias redigis. Sic enim in tuis Notis alicubi ais:

1. Deus ex absoluta naturæ suæ necessitate, non modò peccatum odit, sed & peccatores punit. Sect. 59.

2. Non

2. Non potest Deus, salvâ justitiâ suâ, (naturali scilicet, & absolutè loquendo) ullum vel minimum peccatum impunitum dimittere. Sect. 93.

3. Pugnat etiam cum eadem justitia Dei, poenas mitigare, seu peccatis minores infligere. Sect. 94.

4. Deus in justificando homine credente nihil remittit de jure suo: quippe quem punivit in Christo sponse &c. Sect. 99.

### EXAMEN.

**A**D 1. Confunduntur hîc *due* res, sive actiones Dei, admodum diversæ: vel saltem pro paribus, aut æquipollentibus, ea sumuntur, quæ revera talia non sunt: puta *odium* peccati, & *punitio* peccatoris. Nam *odium* quidè peccati, h. e. simplex detestatio, fluit ex absoluta necessitate naturæ divinæ: eò quòd contrarius justitiæ *amor* Deo planè naturalis sit. At *punitio* peccatoris, etsi naturæ Dei semper congrua est, tamen immediatè pendet à libera Dei voluntate: non fecus atque contraria peccatoris *absolutio*, seu gratuita peccati condonatio. *Miseretur enim Deus, cujus vult, & indurat, quem vult.* Alioqui non posset Deus ulli peccatori, licet respicienti, ullo modo parcere: quippe qui nihil justitiæ suæ contrarium agere unquam potest. Ita verò suprema & liberrima Dei potestas in angustum redigeretur: minusque Deo liceret in rebus suis, quàm homini licet in suis. De quo statim amplius.

Row. 9.

*Ad 2. & 3.* Hîc verò clarè satis apparet, quibus angustijs summa Dei majestas, h. e. absoluta ipsius potestas, à te includatur. Si enim geminam hanc impossibilitatem, de qua in utraque thesi agis, ad liberum Dei decretum referres, excusari hæc utraque assertio sanè posset. Sed quia extra *hypothese* decreti hîc loqueris, absolutamque Dei potestatem utrobique simpliciter negas, ideò neutra thesîs consistere potest.

potest. Cur enim, absolutè loquendo, non liceat Deo peccatum gratis condonare? aut saltem pœnam peccato debitam mitigare, ac lenire? Annon enim *Dominus est omnium omnino rerum*? eoque non minùs pœnarum, quàm præmiorum? Et annon *licet ipsi de suo facere, quod vult?* h. e. *misereri quorum vult, & quantum vult &c.* Cave quidquam horum negaveris. Sic enim minus Deo concedes, quàm homini mortali: quum iste, licet alioqui fortè justissimus, interdum aut *totam* pœnam, aut *partem* ejus aliquam (cùm de ipsius tantùm, & non de alicujus tertij, jure agitur) salvâ justitiâ remittere possit. Quorum *utrumq;* tu Deo hïc satis aperte denegas: idq; sub prætextu naturalis in Deo justitiæ, quæ revera in Deo naturalis non est: sive quæ extra hypothesin decreti nulla hïc uspiam in Deo esse apparet: sicut ex ipsa rei propositæ natura perspicuè patet.

*Ad 4.* Si hoc ita intelligis, quasi Deus de jure suo nihil omnino hïc remittat, adeoque nihil remittere possit (ut quidem ex antedictis apparet) tum in absurda, jam modò exposita, necessariò incidis: & prætereà omnem veram peccatorum remissionem planè tollis. Quid enim hæc aliud esse potest (si formaliter ac propriè consideretur) quàm pœnarum nobis debitarū gratuita omissio, vel aversio? & proinde quid aliud re ipsa est, quàm vera aliqua juris divini remissio? sive ejus debiti, quod Deus ipse jure suo à nobis exigere poterat, vera condonatio? Et certè, si nihil omnino Deus hïc de jure suo remisit, tum ne *sponsorem quidè ipsum*, nempe Christum, ex gratia nobis dedit, neque hunc pro nobis verè peccatū fecit &c. nec temporalem ejusdem mortem pro æterna damnatione nobis debita verè accepit &c. Nam nihil horum sine juris remissione fieri unquam potuit. Alioqui non nego, peccata credentium, immo aliquatenus omnium hominum, in Christo sponsore verè punita fuisse: sed ita, ut multiplex *imèntia*, seu rigidi juris remissio, hïc admixta fuerit. De

D quo

*Psa. 24. &  
50. &c.  
Matt. 20.  
Rom. 9.*

*Psal. 32.  
& 85. &c.*

*Math. 6.  
& 18.*

*Hebr. 7.  
2. Cor. 5.  
Gal. 3. &c.*

quo negotio aliàs uberiùs, Deo gratiam dante.

Nunc satis sit, breviter ostendisse, iustitiam & potestatem Dei (quam ipse utramque in negotio salutis, ac damnationis aeternae, multipliciter exercet, atque ostendit) in Articulo quidem divinæ *prædestinationis* iusto latius à te extendi: in materia autem *justificationis*, seu peccatorum remissionis, nimium arctari, ac constringi: atq; ita perperam utrobique à te intelligi. De quo seriò velim cogites.

CAPVT VI.

*De Prædestinatione Dei gemina, de q̄, Electis, & Reprobis.*

**H**Actenus *quinque* præcipua sententiæ tuæ fundamenta vidimus. Ex quibus vel solis, etiamsi nihil præterea diceres, abundè patet, quid de *prædestinatione* Dei, deque Electione ac Reprobatione, & utriusq; annexis, reuera sentias. Ut tamen omnia plenius innotescant, etiam hîc enunciata quædam tua subjiciam, quæ passim in Notis tuis obvia sunt, v.g. hæc sequentia.

1. Deus destinavit (antecedente nimirum, & absoluto decreto) hominum alios ad salutem, ex misericordia peccata ignoscente ijs tribuendam: alios ad interitum, ex iustitia peccata puniente ijs inferendum. Sect. 89.

2. Deus destinavit homines in universum omnes ad peccata: quippe sine quibus fines illos (jam dictos) effectos dare non potuisset. Ibidem, & Sect. 61. & 64.

3. Salus æterna non est nobis decreta sub conditione fidei & pietatis: sed contrà, fides & pietas ijs decreta est, quibus salus absolutè decreta est. Sect. 122.

4. Per fidem nemo efficitur Electus (actu scilicet, & re ipsa) sed qui jam antè sic electus est, post efficitur credens. Sect. 112. & 126.

5. Scriptura semper loquitur de actu Electis, nunquam de potestate. Atque isto etiam sensu nos ante secula fuimus electi. Ibidem.

6. Re-

6. Reperiuntur dicuntur idcirco vasa iræ, quia prædestinati sunt (antecedenter scilicet, & absolute) ad hoc, ut Deus iram suam in eos æternum exercent. Sect. 86. & 117.

7. Contrà Electi vocantur vasa misericordiæ, quia similiter ad hoc destinati sunt (antecedenter, & absolute) ut Deus misericordiam suam parcentem erga ipsos exercent. Ibidem.

8. Quod Rom. 9. dicitur, *Esau odi, &c.* id de ipso nondum nato, deq; odio ejusdem ad æternū exitium (cui scilicet antecederet, & absolute, destinatus erat) intelligi debet. Sect. 100.

9. Contrà, quod ibidem dicitur, *Jacobum amavi, &c.* id similiter de ipso nondum nato, deq; amore ejusdem ad æternam salutem (cui scilicet antecedenter, & absolute destinatus erat) accipiendum est. Ibidem.

10. Non soli credentes, ac pii, in scriptura dicuntur Electi (nempe actu) sed quidam etiā actu impii, & increduli. Sect. 103.

#### EXAMEN GENERALE.

**S**ymmatim igitur de hoc capite sic sentis: Deum absolute simul & antecedente decreto (quod nullo fidei, aut infidelitatis, respectu nitatur) quosdam singulares ac nudos homines ad æternam salutem, quosdam verò ad exitium sempiternum nominatim, & quidem inevitabiliter, destinasse: sed ita, ut in illis misericordiam parcentem, in his justitiam punientem, re ipsa in tempore ostenderet: ac proinde omnes omnino homines similiter (absolute nimirum, & antecedente decreto) ad ipsa peccata destinasse: quippe sine quibus istos fines assequi non potuisset. Et electos quidem non ad gloriam tantum, sed etiā ad fidem, & pietatē; reprobos verò similiter non ad exitium tantum, sed etiam ad incredulitatem, & impoenitentiam, absolute illa, & causas omnes antegrediente, voluntate sua irrevocabiler prædestinasse. Et hoc totum ad gloriam suā illustrandā ita statuissē. Breviter: Et Electionē, & Reprobationē, planē *inconditionatā* statuissē: & utramq; hanc destinationē non tantum ad fines, sed etiā ad media, finibus

substrata, æqualiter extendis: denique utramque, quoad utramque sui partem, in antecedente & præcisa Dei voluntate totam collocas.

<sup>a</sup> Vide inf.  
ad 3. &  
fig.

At verò hoc dogma, præter quàm quòd nullum prorsus in Scriptura fundamentum habet; immò multis S. Scripturæ locis apertè refragatur: <sup>a</sup> etiam in ipsum *Deum*, simul & *homines*, valdè injurium est: quia *Deo* turpissima illa vitia, de quibus supra dictum est, per necessariam consequentiam re ipsa tribuit: *homines* verò partim inani fiducia implet, & carnaliter securos efficit, dum se ista præcisa ratione electos esse, eòque nullo modo perire posse, temere putant: partim ad diffidentiam, ac desperationem adigit, dum se fortè simili modo reprobatos esse cogitant, eoque nec resipiscere, nec salutem obtinere se posse, perversissimè credunt. Vnde verum pietatis studium necessariò tandem evertitur, & totus S. ministerij usus omnino enervatur: prout intelligenti, & consideranti, facile patet. Sed ista partim ex antedictis satis aperta sunt, partim ex sequentibus ampliùs constabunt.

#### SPECIALE EXAMEN.]

**A**D 1. Hæc *parcens* Dei misericordia, & hæc *puniens* justitia, sive reale potiùs utriusque exercitium, non ad absolutam, simul & antecedentem; sed partim ad conditionatam, partimque ad consequentem, Dei voluntatem, necessariò referri debet: sicut cap. 1. & 3. breviter exposui. Atque hoc demum sensu verum est, alios hominum (nempe credentes, & pios) ex misericordia parcente ad salutem; alios verò (nempe impios, & incredulos) ex justitia puniente ad exitium aternum, peremptoriè à Deo destinatos esse. Secus omnino falsum est. Vide plura cap. 1. ad 2. & cap. 3. ad 6. 7. 9.

*Ad 2.* Immò verò neminem Deus ad peccata unquam destinavit: quippe quod toti ipsius naturæ, simul & voluntati, planè repugnat: sicut cap. 3. breviter ostendi. Fines au-

tem

tem istos speciales, de quibus hîc agis, absolutè tum demum intendit Deus, cùm jam hominũ peccata in ipsius præscientia extiterunt. Alioqui aut planè illos non intendit, aut tantùm sub conditione ista, si quidem homines liberè peccaturi essent: prout tandem accidit.

*Ad 3.* Contrà sunt omnia illa Scripturæ loca, quæ salutem æternam, *nullis nisi pijs, & credentoribus, seu Deum diligentibus, &c.* aut jam reipsa dari, aut olim præparatam à Deo fuisse, clarè testantur. Item recta ratio contrà facit: quippe non obscurè docens, eodem ordine, & modo, salutem à Deo nobis olim decretam fuisse, quo reipsa nobis in tempore datur: quia secus exsecutio ipsi decreto minimè conformis foret. At experientia, simulque verbum Dei, perspicuè docent, nullis nisi jam dictis (puta cùm de adultis agitur) salutem reipsa nunc dari: nec aliter ipsis, quàm sub cõditione hac, jam præstita, perfectè tandem iri datum. Ergo ipsa nec alijs olim decrera fuit; nec aliter, sive alio ordine, aut modo, quàm quo dictum est.

*Ad 4. & 10.* S. Scriptura nusquam vocat actu electos, nisi verè credentes. Immo per fidem, sive in fide, nos eligi docet. Neque fieri potest, ut incredulus quisquam actu electus sit, h. e. in peculium Dei selectus: quum *sine fide impossibile sit Deo placere: quumque per fidem demum filij Dei, & Deo dilecti,* reipsa efficiamur: quum denique contradictio sit, actu electum esse, eòque Deo in Christo dilectum; & tamen reipsa impium, atque incredulum esse, h. e. non Dei, sed Diaboli, filium esse. Opposita enim eidem simul inesse nequeunt.

*Ad 5.* Atqui non entis nullæ sunt qualitates. Quomodo igitur actu electus esse potest, qui actu nondum existit? *Sumus quidem in Christo electi ante secula, sive ante mundi fundationem,* ut Apostolus ait: sicut *& gratia tunc nobis data fuit &c.* sed non tamen reipsa, & propriè loquendo: verùm metonymicè in decreto Dei: & eo quidem vel conditionato tantùm,

Matth. 7.  
Eph. 2.5.  
1. Cor. 2.  
Iac. 1. &c.

Iac. 2.  
2. Theff. 2.  
Heb. 11.  
Ioh. 1.  
Gal. 3.  
1. Ioh. 3.

Eph. 1.  
2. Tim. 1.

*Ephes. 1.*  
*Ch. 3. Ch.* vel absoluto quidem, sed consequente prævisione fidei nostræ. Nempe: quia *in Christo* Electi sumus: in quo nemo, nisi per fidem, esse potest: uti omnibus notum est.

*Rom. 9.*  
*Ad 6. & 7.* Immo utraque illa *vasa* sic dicuntur partim à conditionata, partim à consequente, Dei voluntate; *neutra* verò ab antecedente, & simul absoluta: Sicut ex ipso loco, hîc citato, ejusque recta analysi, satis apparet. Nam quidquid de *vasis iræ* ab Apostolo hîc dicitur, id totum ad omnes & solos incredulos reverà pertinet: & contra, quidquid de *vasis misericordiæ* hîc affertur, id totum ad omnes & solos credentes ab eodem Apostolo aptatur. Non igitur nuda individua, sed qualitatibus suis vestita, utroque illo titulo hîc à Spiritu S. insigniuntur, sicut Collatio plenius ostendet.

*Rom. 9.*  
*Ad 8. & 9.* Confunduntur hîc meri *typi*, cum veris *exemplis* rei propositæ, h. e. Electionis, & Reprobationis æternæ. Nam pueros illos, nondum natos, Apostolus hîc tantum ut *typos* considerat: eoque hætenus & odium, & amorem Dei, de iisdem typicè intelligit: h. e. de unius Electione ad dominium temporale, deque alterius rejectione ad similem servitutem. Quibus rebus Electio fidelium, & rejectio infidelium, præfigurata olim fuit: prout ex serie S. contextus, & collatione originalium locorū (Gen. 25. & Malach. 1.) quos Apostolus ipse allegat, perspicuè constare potest. Atque hæc etiam de isto capite sufficiant.

## CAPVT VII.

*De morte & merito Christi: sive de fine aduentus  
ipsius in mundum.*

**A** Prædestinatione Dei, tanquam à supremo capite, certum est pendere totam nostri cum Deo reconciliationem, seu totam salutis, per Christum partem, obligationem, & dispensationem. Qualis igitur illa est, talem & hanc esse necesse est: h. e. aut vocatis omnibus communem, seu

seu generalē, aut contrā paucorū propriam, & præcisè particularē: item, aut conditionatam, aut absolutam &c. prout scilicet illa fuerit. Sed axiomata quædam tua etiam hîc audiamus, ut sensus tuus omnibus apertior sit. Ais igitur hoc loco:

1. Christus non est mortuus pro omnibus & singulis hominibus: sed pro solis Electis. Sect. 26. & 83.

2. Non misit Deus filium suum in mundum, ut omnes homines (licet vocatos) per ipsum illuminaret, aut omnes servaret, &c. Nec pro omnibus ipsum in mortē exposuit &c. Nec omnium bono ipsum excitavit, aut exaltavit &c. Sect. 101. & 106. & 107.

3. Christus ne sufficienter quidem (nedum efficaciter) pro omnibus mortuus est. Neque seriò expetit omnium salutem: quia non omnes re ipsa servat. Sect. 87.

4. Quòd Christus olim agebat, se *Iudeos sæpius colligere voluisse* &c. id de humana tantum, non de divinâ ipsius voluntate, intelligendum est. Sect. 120.

Matt. 23.

### EXAMEN.

**P**RO generali examine, seu communi responso, hæc duo breviter annotanda sunt. 1. Nusquam assertiones, sive sententias, hæc tuas in S. literis extare: neque quoad verba, neque quoad rem ipsam. 2. Non pauca illic de salutari officio, seu meritis, ac beneficijs Iesu Christi narrari, quæ sententijs hisce tuis planè contraria sunt: prout ex speciali responsione amplius elucescet. Dico igitur ad singulas eâ quæ sequuntur.

*Ad 1.* Nusquam ulla ratione scriptum est, Christum pro solis electis esse mortuum: præsertim indefinite, seu quolibet modo. Contrâ verò passim legimus, *Christum pro omnibus esse mortuum: etiam pro ijs qui pereunt, quiq; ipsum abnegant, & quasi pedibus conculcant, &c. adeoque propitiationem esse factum pro peccatis totius mundi, &c.* Et sanè nisi pro vocatis saltem

Hebr. 2.

1. Tim. 2.

Heb. 5. &

10. &c.

2. Pet. 2.

1. Iob. 22.

omni-

omnibus verè mortuus esset Christus, tum frustra hi omnes in ipsum credere juberentur. Neque jam increduli, eoq; percutentes, ob incredulitatem suam justè à Deo puniri possent: ut qui nullam in Christum credendi causam justam haberent. Immo verò isti falsum credere tenerentur, siquidem in Christum, ut servatorem suum, pro ipsis tamen non mortuum, credere juberentur. Dicendum est igitur, saltem *sufficienter* pro omnibus mortuum esse Christum, quoad justitiæ & salutis acquisitionem, sive impetrationem: licet *efficaciter* pro solis credentibus, & electis, sit mortuus, quoad fructificationem sive applicationem.

*Esa. 49.* *Ad 2.* Immò misit Deus filium suum, ut omnes omnino vocatos illuminaret, & servaret &c. sed salvis tamen conditionibus, in verbo Dei expressis. Voluit enim *ipsum esse lucem, ac doctorem, omnium gentium, ac servatorem totius mundi.* Ac proinde ipsum pro omnibus in mortem tradidit, uti jam modò audivimus: omniumque bono ipsum à mortuis excitavit, ac denique exaltavit: h. e. *poteſtatem ei dedit omnis carnis, ut omnibus det vitam æternam,* nempe *omnibus ipsi à Patre datis* (quæ conditio hîc intervenire debet, quia de applicatione agitur) h. e. omnibus in ipsum, per gratiam ipsius, verè credentibus &c. Neque contrarium ullo S. Scripturæ testimonio clarè doceri potest.

*Ad 3.* De sufficientia mortis Christi generali, & quomodo ipse verè pro omnibus sit mortuus, satis dictum est suprà ad thesin 1. Deinde si non *seriò* Christus expetit omnium salutem (puta omnium saltem vocatorum) cur igitur omnes laborantes, ac sitientes, tam benignè ad se invitat? nec quemquam ex omnibus venientibus repulsurum se promittit? Cur etiam gratiam suam omnibus ubique annunciari, omnesque ad pœnitentiam excitari jubet? Cur denique incredulorum, & impœnitentium, exitium tam seriò deplorat? eorumque conversionem diu patienter expectat? Objectio porrò

*Matt. 11.*

*Ioh. 6. & 7.*

*Marc. 16.*

*Act. 1. &*

*17.*

*Luc. 13. &*

*19. &c.*

*2. Pet. 3.*

33

porrò tua, ab eventu ad voluntatem, negativè quidem instituta, in hoc negotio nihil valet: prout antè non semel admonui, & suo tempore plenius ostendam.

*Ad 4.* Quasi verò inter has duas Christi voluntates aliqua vera contrarietas aut sit, aut esse possit, in hoc quidem negotio. Immò quasi Christus hïc non loquatur, ut integer *Mat. 23.* *θεανθρωπος*, seu plenus mediator, Deus simul & homo. Quasi denique per hanc distinctionem, si semel admissa fuerit, non omnes similes Christi sententiæ infirmari, atque enervari possint. Tandem quasi in hac tam varia & inconstanti hujus loci expositione, quam tu alijque tecum in hoc dogmate sentientes Dd. afferre soletis, aliquid certi ac solidi esse possit, cui pia conscientia tutò queat inniti. De quo aliàs uberius, Deo favente, in ipsa Collatione.

#### CAPVT VIII.

*De conversione hominis, & libero arbitrio ad bonum.*

**E**X *præcisâ* illa duplici prædestinatione, qualem supra tradidisti, fluit etiam *præcisâ & irresistibilis paucorum* quorundam conversio: & similis omnium coeterorum in peccatis desertio, aut etiam obduratio &c. De quibus ita habet sententia tua.

1. Deus efficit fidem & conversionem in hominibus (quoscunque convertit) non modò impijs, sed & actu ipso adhuc rebellibus, & in exercitio rebellionis perseverantibus. Sect. 70. & 121.

2. Homo non potest Deo operanti resistere in conversione sui: sed convertitur per vim simpliciter irresistibilem. Sect. 118.

3. Homo non cooperatur Deo in conversione sui (puta integrè accepta) Neq; hïc ulla habet vires ad bonum, (puta ullo modo, licet jam à gratia prævencus.) Sect. 132.

**E**

4. Deus

4. Deus non vult conversionem eorum, qui reipsa non resipiscunt: licet alioqui huc vocati sint. Neque his gratiam dat sufficientem ad resipiscendum. Denique per Deum fiat, quò minus isti convertantur, & serventur. Sect. 92. & 110. & 119.

## EXAMEN.

Initiò cautiunculam hoc loco præmittam, de vera necessitate, & efficacia *gratiæ* Dei, ejusque prævio concursu cum *libero* hominis arbitrio: ne quid aut illi per me detrahi, aut huic plusquam par sit in negotio conversionis adscribi, quicumquam putet. Dico igitur, & initium, & progressum, & finem, tum conversionis, tum universæ salutis nostræ, soli gratiæ divinæ in Iesu Christo adscribendum esse: nec quidquam virium in homine peccatore, ejusve libero arbitrio, ad bonum spirituale reperiri posse, quod nõ prævenienti & comitanti Christi gratiæ in solidum tribui debeat. Interea de *modo*, & *ordine* operationis, quam ipsa Dei gratia in nobis exercet, dum nos convertit, sive dum fidem & conversionem ordinariè in nobis efficit, omnino hîc perperam te sentire existimo: sicut ex sequentibus patebit. Ajo igitur ad singulas theses, prout sequitur.

*Ad 1. dico*, Nusquã in universa Scriptura tale quidquam doceri, de tali nimirum conversionis modo, qualis hoc loco à te traditur. Quin illic contrà potius asseritur, nec fidem, nec conversionem ijs reipsa dari, qui Spiritui sancto contumaciter resistunt, & verbum salutis protervè repudiant &c. tantumque ijs donari, qui jam à gratia Dei aliquatenus præventi, Deo reluctari desinunt, & verbum salutis *libenter* admittunt: prout exempla utriusque ordinis, ibidem passim expressa, perspicuè declarant. Accedit etiam *natura* hujus utriusque doni: quæ sic comparata est, ut voluntarium accipientis assensum, ac pium mediorum usum, necessariò requi-

Act. 2. &  
7. & 13.  
& 17. &c.

requirat: quæque proinde invitis, ac rebellibus, quamdiu tales actu sunt, neutrum reipsa contingere posse, satis clarè demonstrat.

*Ad 2.* Ergone conversio hominis planè violenta, seu potiùs Enthusiastica est, ac fanatica? Ergone etiam falsò scriptum est, quosdam *Spiritui sancto restitisse? Seu Deo, ad frugem seriò vocanti, & necessaria auxilia huc conferenti, protervè rebellasse?* adeoq; *totum Dei consilium sprevisse, imo adversus seipsos irritum fecisse?* Præterea si ita est, ut tu ais, tum vanæ sunt omnes illæ Spiritus S. hortationes, & obtestationes &c. ut ne Deo pulsanti & invitanti resistamus, aut corda nostra ad vocem Dei obduremus: sed ut vocanti pareamus, & pulsantem intromittamus &c. Vanæ etiam tum sunt omnes Dei querelæ, & exprobrationes, adversus incredulos & impœnitentes institutæ. Vanus denique est omnis credendi ac resipiscendi labor, ac conatus noster, etiam postquam jam à gratia Dei præventi sumus: si ne liberè quidem obfistere, aut dissentire hîc possumus. Quæ omnia prorsus absurda censerî debent.

*Ad 3.* Si res ita habet, tum sequitur, nullam esse activam hominis conversionem; sed totam merè passivam: ac proinde falsa esse omnia illa Scripturæ loca, quæ hominem ipsum, jam à gratia Dei actum, simul etiam hîc agere docent: h. e. peccata sua agnoscere, confiteri, deplorare, culpam deprecari, & novum piè vivendi propositum facere, seu novam & sanctam deinceps vitam meditari; denique seipsum abnegare & carnem crucifigere &c. sive veterem hominem exuere, & novum induere &c. Quæ omnia certè actionem, non Dei, sed hominis propriam, per se declarant; & quidem conversioni prorsus essentialem. Hanc autem actionem, quum ex se ipso edere homo non possit, necesse est ipsum à gratia Dei præveniri, ac postea eidem gratiæ liberè cooperari. Quare

etiam jam vires aliquas ad bonum habet : sed tamen non à seipso , aut sua natura : verùm à sola gratia illa Dei præveniente : quæ primò sensum merè passivum , pòst etiam liberum voluntariumque consensum , ac cooperationem verè activam , in homine producit. Quod nisi faceret , tum ipsa verè impotens & inefficax esset : ut quæ conversionem hominis veram , h. e. verè activam , & cum voluntaria obedientia conjunctam , minimè absolveret. Quod absit.

Ad 4. De hac thesi suprà satis actum videtur cap. 4. Nunc tantùm repeto , ipsam & ἀγραφον , & ἀντίγραφον , immò aliquatenus ἀλογον esse : ut quæ respectu consequentiæ , non tantùm impœnitentes ipsos ab omni vera impœnitentiæ culpa absolvat : sed & ipsum Deum *hypocriſeos* , & *tyrannidis* , item *vanitatis* & *mendacij* , re ipsa infimulet : præsertim quum ipse Deus conversionem impiorum , à se vocatorum , & optare , & sperare se dicat : nec quidquam huc necessarium ex sua parte , apud ipsos quidem vocatos , omitti aut negligi asserat. Cujus S. verbo potiùs credendum est , quàm speciosis consequentijs nostris , ab eventu ad voluntatem negativè ductis , temerè indulgendum. Sed de his quoque ampliùs , Deo dante , in ipsa collatione.

Psal. 81.  
Ezech. 33.  
Esa. 5.  
Ch. 48.  
Ch. 65.

#### CAPVT IX.

*De perseverantia fidelium , deq; libero eorum arbitrio ad malum.*

**Q**Vale salutis nostræ principium , ac medium , hujusque juxta te fuit , talis nunc ejusdem est exitus. Inconditionata fuit *prædestinatio* tua : & irresistibilis planè *conversio* , sive mavis violenta hominis ad fidem attractio. Ergo nunc sequitur ejusdem generis *perseverantia* : nempe similiter inconditionata , & præcisè necessaria , seu mavis inevitabilis , ac prorsus indeclinabilis ; etiam deficere fortè volenti.

lentibus nobis, ac securè peccantibus. De qua *duo* tantùm enunciatâ tua hîc subijciam.

1. Fieri non potest (puta ullo modo) ut credentes fidem amittant. Sect. 108.

2. Ex vasis iræ non possunt fieri vasa misericordiæ: nec contrâ ex vasis misericordiæ vasa iræ. Sect. 86. & 87.

### EXAMEN.

**H**ic quoque breviculâ cautionis ergò unicum hoc axioma præmittam: veram sanctorum perseverantiam à me nequaquam impugnari, aut in dubium vocari: sed tantùm fallacem ac fictitiam illam, quæ omnem etiam spontaneæ defectionis possibilitatē excludit. Fateor enim, verè credentes non tantùm *debere*, sed etiam per Dei gratiam *posse*, in vera fide ad finem usque perseverare: ac tentationes omnes Satanae, ac Mundi &c. per spiritum sanctum continuò superare: modò ne gratiæ I. Christi sponte sua deesse velint; sed officium ubique sedulò facere, precando, vigilando, certando &c. Quod *postremum* tamen hætenus ipsorum libertati permissum esse sentio, quatenus Deus simpliciter impedire non vult, quò minus ipsi, siquidem planè velint, contrarium facere possint: ut qui invitos retinere nolit. Sic igitur ad utramque thesin tuam breviter respondeo.

*Ad r.* Si limitatio aliqua commoda hîc adjiceretur, excusari thesis ista posset. v.g. Si diceres, non posse *fideles*, quâ tales sunt, *Christo* eripi, vel *ab ipso separari*: sive non posse fidem ab invitis credentibus, per Satanam, aut Mundum &c. ullatenus auferri: Item, respectu gratiæ & assistentiæ divinæ, quamdiu quidem hæc piè custoditur, ac studiosè retinetur, fieri non posse, ut fidem illi amittant &c. Nunc quum simpliciter & indistinctè hanc possibilitatem neges, sententia tua probari non potest. Etenim ipsi credentes, cupiditatibus quibusdam illecti, sua sponte fidem abjicere, atque ita se-

1. Cor. 1.

Ep. 10.

Phi. 1. &amp; 2.

1. Pet. 1.

Etc.

Iob. 10.

Rom. 8.

ipſos Ieſu Chriſto ſubducere, ſive ab ipſo volentes recedere poſſunt. Quos certè tum invitos Chriſtus retinere nec vult, nec ſolet: juxta illud, *Num & vos vultis abire?* Item, *Si quis ſe ſubduxerit &c.* Quodſi aliter eſſet, tum falſò Spiritus S. aſſereret, & olim quòſdam à vera fide ac pietate defeciſſe: & ultimis diebus idem multis eventurum eſſe. Fruſtrà etiam ad continuam ſollicitudinem, & ſanctum metum, in hac parte nos hortaretur: Contraque à defectione, & ſecuritate carnali, tam ſtudioſè dehortaretur. Quod enim nullo modo fieri poteſt, id fruſtrà cavendum præcipitur, idem que ſtultè metuitur: & contrà, quod infallibiliter, ac neceſſariò, futurum eſt, id nemo prudens ſollicitè admodum procurat: ſicut ipſa ratio unumquemque ſatis admonet.

*Ad 2.* Si utraque hæc *vaſa*, de quibus agis, κατ' ἐξ ὀλιῶ accipiantur, & juxta perſeverantiam, ſeu finalem eventum, in Dei præſcientia ſpectentur, tum fateor theſin hanc tolerari poſſe. Sed quia conſtat, te aliter hæc vaſa, juxta inconditionatam prædeſtinationem, hoc loco interpretari: & ſpecialim quidem credentes omnes pro *miſericordie vaſis* habere (quod etiam in ſano ſenſu veriſſimum eſt) de que ijs ſtatuerè, quòd nullo modo, ne volentes quidem, in *vaſa ira* degenerare, h. e. à vera fide excidere, poſſint: idcirco theſin falſam eſſe dico: contraque totum ſtatum utrorumque vaſorum, h. e. credentium, & incredutorum, quamdiu hîc degunt, reverà mutabilem eſſe affirmo: idque vel ex ſolo Capite II. ad Rom. abundè conſtare puto. Hîc enim Apoſtolus copioſè docet, *incredulos* ita ex oliva defractos eſſe, ut iterum inferi poſſint: Et contrà *fideles* ſic eidem inſitos eſſe, ut iterum excindi poſſint: niſi & hi in fide, & illi in incredulitate, permanſerint. Itaque & hiſ verè *metuendum*, & de illis bene *ſperandum* eſſe, ſeriò monet. Quod certè facere non poſſet abſque manifeſta inſipientia, ſi utrorumque ſtatum prorfus immutabilem eſſe credidiſſet. Ne jam dicam, ipſum

Apo.

Ioh. 6.  
Hebr. 10.

Mat. 24.  
Luc. 17.

1. Tim. 1.  
Eph. 4.

2. Pet. 2.  
Apo. 2.

Eph. 3.  
Phil. 2.

Heb. 3. &  
4. &c.

Rom. 9.

2. Mat. 22.  
Eph. 24.

Luc. 18.  
Rom. 8.

Eph. 3.

Rom. 11.

Apostolum, quamvis verè fidelis esset, tamen alibi de se ipso testari, se *corpus suum ideò contundere &c. ne quum alijs prædicasset ipse reprobus fieret.* Alia id genus exempla, & testimonia complura, nunc omitto, quæ fortè Collatio ipsa suo tempore plenius exponet. 1. Cor. 9.

Itaque hactenus ista sufficiant de prima Opusculi parte.

## PARS SECVNDA.

### CAPVT I.

*De nomine Iehovah: an, & quatenus Creaturis in S. literis aliquando tribuatur.*



**H**ACTENVS ea fideliter ex Notis tuis excerpti, vir Clariss. perque compendium exposui, ac refutavi, quæ ad negotium absoluta *prædestinationis*, qualis à te statuitur, quoquo modo pertinent: quæque proinde *voluntatem* Dei circa salutem, ac damnationem hominum, directè concernunt. In quibus etiam errata tua, nec pauca, nec levia, breviter quidè, sed satis evidenter, ostendisse mihi videor. Addam nunc, in hac altera parte, ex iisdem Notis tuis alias quasdam controversias: in quibus itidè errare aliquantulum mihi videtis, sed minùs periculosè: quippe quæ circa res quasdam minùs ad salutem scitu necessarias versantur: & proinde quarum ignoratio, aut prava intellectio, nec veram in Deum fidem, nec pietatè Christianam, per se quidquam lædit. Cuiusmodi sunt quæstiones aliquot intricatæ, de quibusdam *Nominibus* Dei, seu potius de speciali quodam eorum usu, & significatione, in S. literis non satis expressa: item de modis quibusdam divina *Immensitatis, simplicitatis, Eternitatis, &c.* alijsque id genus rebus abstrusioribus, nec uspiam

in

in Verbo Dei clarè patefactis : denique de recto & genuinò sensu quorundam S. Scripturæ locorum, quos diversi Interpretes diversa ratione interdum accipere solent &c. In quibus omnibus citra periculum salutis, citraque crimen hæreseos, hallucinari omnes possumus.

Sectabor autem hîc brevitatem quàm maximè : ne Parasceve hæc modum congruum excedat. Et initium quidem faciam à nomine *Iehovah*. De quo ego dixeram in Tractatu meo, interdum id *S. Angelis*, utpote Dei legatis eximijs, in Scriptura per tropum aliquem attribui: item, videri aliquando *Idolis* etiam per Carachresin attributum fuisse &c. Pro *priore* parte citaveram loca illa Genes. 16. & 18. & 19. Exo. 3. Iud. 13. pro posteriore, illa Exo. 32. & Iudic. 17. additis etiam alijs quibusdam rationibus, non omnino contemnendis.

Sed hanc sententiam tu Sect. 2. & 29. & 30. & 31. ut falsam redarguis, & locis citatis tantùm de ipso vero & æterno *Iehovah*, & speciatim de Christo Dei filio, qui *Iehovah* simul & Angelus *Iehovæ* dicatur, sermonem haberi contendis. Et si autem fateor, rationes abs te allatas speciem aliquam veritatis habere; nihil tamen firmum aut solidum in ijs deprehendere potui. Immò postquam ad rigidum veritatis examen eas revocavi, plerasque ne probabiliter quidem intentum tuum adstruere animadverti: sicut ipsa Collatio posthac clarè satis de singulis ostendet. Interea te rogo, ut sequentiâ *καταομνήματα* paulò diligentius in hac questione tecum expendas.

I. Non meam esse, aut cujusquam alterius, singularem ac privatam opinionem, quam istic oppugnas : sed communem & publicam non Hebræorum tantùm, sed & multorum Ecclesiæ Dd. sententiam, tam veterum, quàm recentiorum, etiam eorū, quos tu ipse Orthodoxos esse haud dubiè agnoscis : quorum alij eam, ut omnino veram & certam, constanter asserunt : alij saltem ut probabilem, sive excusabilem,

bilem, admitti posse judicant: sicut alibi satis ostendisse mihi videor: & amplius, si opus erit, ex *Augustino, Eucherio, Fagio, Pagnino, Musculo, Mercero, Zwinglio, Calvino*, alijsque, ostendi potest. Quare si quid hac in parte fortassis errarem, id societas tantorum virorum excusare apud te, omnesque moderatos, merito deberet.

2. Quum in locis supra citatis, partim de *Angelis*, partim de *Idolis*, seu *deastris*, perspicue agatur: & illi quidem, ut insignes Dei legati, non tam suam, quam Dei ipsius personam illic sustineant: hi vero, non quales in seipsis sunt, sed quales ab Idololatrijs esse creduntur, ibidem describantur: causam scire velim, cur non & illos de nomine mittentis, & istos ex opinione suorum cultorum, Spiritus S. improprie appellare potuerit? immo voluerit? Praesertim quum ista impropria appellatio & rationi, & vulgatae consuetudini, satis consentanea sit: nec ullam S. textui vim revera faciat: quumque similia exempla etiam in Scripturis alibi occurrant: de quibus alia occasione fortasse pluribus.

3. Si tam certum esset, quam tu quidem videri vis, in locis illis Gen. 18. & 19. &c. increatum Angelum, puta Christum, Patriarchis apparuisse: an tum probabile sit, Apostolum in Epistola ad Hebraeos cap. 13. (ubi sine dubio ad Historias istas respicit) silentio id praeterire voluisse: maxime quum horrationem suam, ad studium hospitalitatis &c. plurimum hinc roborari posse non ignoraret. Immo annon hinc plusquam probabiliter colligi possit, Apostolum haec loca de creatis tantum Angelis intellexisse: ac proinde nos ea similiter intelligere debere. Quod argumentum *Musculus*, alijque jam antea prudenter observarunt.

4. Quae absurditas sit, aut quod periculum in eo lateat, si nomen *Iehovah* S. Angelis interdum in V. T. tropice attributum esse dicamus? praesertim quum alijs etiam rebus longè vilioribus, utpote inanimatis (v. gr. *Arcae federis* &c.) ali-

F

quando

quando per similem tropum illud ipsum communicari videamus: prout Interpretes nonnulli ad Psal. 24. & 47. & 68. & alibi passim, annotarunt. Si enim tropica ista appellatio hinc admitti potest, cur non magis illic?

5. Denique quæ necessitas, aut quæ saltem firma ratio, ex Scripturis afferri possit, cur non perinde nomen *Iehovah*, atq; nomen *Elohim*, interdū s. Angelis, aut etiam Idolis, per tropum, aut catachresin aliquam, cōmunicari potuerit? quum utrumq; soli vero Deo, idq; quasi proprium, usitatē in Scriptura tribuatur: & tamen hoc posterius sæpe de Angelis, deq; Idolis, ac Magistratibus, ibidem usurpetur: prout Exod. 21. & 32. Psal. 8. & 50. & 82. & 138. &c. videre est.

Plura alia huc pertinentia nunc omitto: sed quæ fortassis aliā occasione, Deo dante, plenius exponentur. Hæc enim sufficere jam possunt: saltem ad hoc, ut agnoscas, sententiam hac de re meam nec auctoritate, nec ratione destitui; eoque non facilè tibi damnandam esse: præsertim quum non circa aliquod fidei dogma versetur; sed tantum genuinam paucorum Scripturæ locorum intelligentiam concernat: in qua citra iacturam veræ fidei, ac salutis, etiam ab optimis Christianis interdum erratur.

## CAPVT II.

*De Nomine Elohim: an plures in Deo per sonas significet, & num isto sensu pluraliter in Scriptura de Deo usurpetur.*

**D**Ixeram ego loco abs te notato, alios etiam orthodoxos Dd. hinc imitatus, nomen *Elohim*, etsi terminatione sua plurale sit, significationem tamē singularem habere, quoties in Scriptura de solo vero Deo usurpatur &c. Tu contra Sect. 32. aliquando in significatione plurali de vero Deo usurpari, tumq; plures in Deo personas denotare, contendis. Exemplū verò unicum duntaxat affers ex historia  
Genes.

Genes. 3. ubi ex Collatione istorum verborū Serpentis, *Eritis sicut Elohim &c.* cum verbis illis Dei, *Adam factus est sicut unus ex nobis &c.* planum esse putas, nomine *Elohim* in verbis Serpentis plures in Deo personas indicari.

Speciosa quidem ratio, fateor: sed valde fragilis. *Duo* enim, si non *tria*, per quandam principij petitionem, in ea sumis, quæ neque in ipso contextu clarè apparent, neque à te solidè uspiam probantur. *Vnum* est, Deum in Verbis illis suis ad verba Serpentis respexisse, eaq; velut exegeticè hîc repetere voluisse. *Alterum*, Serpentem sub nomine *Elohim* plures in Deo personas intellexisse; aut saltem unicum illum Deum, exclusis simpliciter Angelis, denotare voluisse. Hæc omnia, inquam, dubia saltem & incerta sunt, si nō planè falsa. Nihil enim vetat, quò minùs statuamus, & Deum absolutè, h. e. citra respectum ad verba serpentis, ita locutum fuisse: & serpentem prædictâ voce *Elohim*, latè scilicet acceptâ, Deum simul & Angelos designasse; aut, si solum Deum intellexit, in significatione tamen singulari eandē de ipso vocem usurpasse. Itaque vides, hæc *tria*, quæ dixi, clarè deinceps tibi probanda esse, priusquam assensum certum jure à nobis hac in parte præcisè postules.

Non dicam nunc, quod fortasse jure possem, unico isto exemplo, si maximè tibi faveret, regulam illam generalem à me positam, quippe ex innumeris penè Scripturæ locis exstructam, de qua initio Capitis dixi, non satis efficaciter infringi. Vna enim hirundo non facit ver. Nec regula ulla tam firma facile reperietur, quæ non aliquam patiatur Exceptionem, præsertim unicam, & planè singularem.

Illud potiùs te rogabo, ut dicta quædam nostrorū Doctorum, *Calvini, Merceri, Danai &c.* (nam *Cajetanum, Bellarminum*, aliosque *Pontificios*, nunc omittam) hac in re mecum facientia, paulò diligentius tecum expendas: & speciatim, ut libellum Clarissimi viri *Johannis Drusij*, de nomine *Elohim*

<sup>2</sup> ad locum  
Genes. 1.  
vers. 1.

ea in parte, ubi quæstio hæc nostra tractatur, obiter percurras, rationesque ab ipso allatas, uti par est, absque præiudicio examines. Videbis enim, nisi valde fallor, incertum saltem infirmumque esse, quidquid ex solo nomine *Elohim* (in hoc enim solo tota quæstio vertitur) pro asserenda personarum in Deo pluralitate ab alijs afferri solet.

In rebus autem fidei, præsertim quæ tanti momenti sunt, omnino certis ac clavis S. Scripturæ testimonijs nitendum est: ne alioqui conscientia nostra perpetuò fluctuet: & ne Iudæis, alijsque incredulis, occasio præbeat de Religione Christiana malè suspicandi.

Atque hæc de *duobus* hisce Dei Nominibus hoc loco sufficiant. Nam quæ præterea de nomine *Adoni*, deque Epitheto *Saggi*, alibi annotasti, ea sic comparata sunt, ut nullam de rebus ipsis veram inter nos controversiam esse jure arbitrer: prout ipsa Collatio suo tempore ostendet.

### CAPVT III.

#### *De Infinitate, sive Immensitate, & Omnipræsentia Dei essentiali.*

**I**N tractando hoc argumento idem tibi aliquatenus accidisse animadverto, quod alijs nonnullis ante hac accidit, qui circa mentem in hoc loco meam haud leviter hallucinati sunt. Etenim Sect. 39. & 40. & 41. sic contra me differis, ut neque scopum, neque modum ac rationem, universæ meæ de hac materia dissertationis, satis affecutus esse videaris: dum præsertim alienas objectiones, exceptionesque nonnullas, in persona disquirentis à me propositas, tanquam *ἀνεπίστατα γνώματα*, seu proprias sententias, mihi non obscure attribuis. Neque verò statum quæstionis, haud semel illic à me constitutæ, satis plenè repetis: dum simpliciter de Essentiali Dei Infinitate, sive Immensitate, deque ejusdem generis omni-

Omnipræsentia, hîc controverti credis: atque interim modum illum specialem, à Scholasticis Dd. extra Dei verbum plus satis audacter ac curiosè definitum, prorsus omittis: quò scilicet totam Dei essentiam, seu totam S. Trinitatem, instar atomi, seu puncti, non modò rebus omnibus, sed & singulis, etiam vilissimis, foedissimis, ac minimis, realiter immixtam, intimèq; præsentem esse; & simul tamen prorsus infinitam, & simpliciter illocalem, extraq; res omnes ubiq; diffusam esse statuunt &c. Plus enim hypothesis ista complectitur, quàm simplex illa superior thesis. Ne jam dicam, te nimis jejunè ac frigide adversus eum, quem tibi formas, adversarium hoc loco disputare: dum nuda illa duo Scripturæ testimonia, *Cæli cælorum non capiunt te &c.* Item, *Cælum & terram ego impleo &c.* (quæ sanè præcipua hîc esse fateor) pro omni probatione adversus illum adducis: non ignorans interim, quàm multa, quàmque speciosè, non quidem adversus ipsa hæc testimonia (quæ meritò Christianis omnibus sacrosancta sunt) sed adversus tuam, aut meam, ipsorum explicationem, ab Adversario tuo excipi possint, ac soleant. Quare ut rectiùs in posterum ac fructuosius ista quæstio inter nos ventilari possit, hæc seqq. quæ sita paulò accuratiùs à te considerari velim.

I. Annon ad rectam fidem, de Immensitate & Omnipræsentia Dei, & porrò ad salutarem utriusq; rei cognitionem, sufficiat ea omnia sincerè credere, quæ totidem verbis de utraque in ipsa Scriptura nobis exposita sunt: etiamsi nullam præterea Doctorum glossam, aut Scholarum explicationem, hac in parte admittamus? Si negas, eadem opera vel sufficientiam, vel claritatem S. Scripture, si non utramque simul, in rebus etiam scitu necessarijs, omnino negaveris. Sin ais, ergo saltem nihil creditu necessarium in controversiam hîc à me vocari concedes: tametsi fortè in hominum placita, & additamenta quædam philosophica, idque non sine ra-

tionē, paulò curiosiùs inquiritur. Illud enim certò constare tibi velim, nihil uspiam nobis in verbo Dei hac tota de re patefactum esse, quod non sancta & religiosa fidē amplectar.

2. Quòd si dixeris, ad rectam hujus rei fidem non sufficere, si phrasēs S. Scripturæ admittantur, nisi etiam orthodoxus earum sensus recipiatur: quæram ampliùs, annon hic ipse sensus ex eadem S. Scriptura unicè petendus sit? & num probabile sit, homines ullos hac de re clariùs, cautiùs, aut circumspectiùs, loqui posse, quàm Spiritus S. in Verbo suo loquutus sit? immò annon hoc ipsum sit, S. Scripturam aut insufficientiæ, aut obscuritatis, in rebus etiã necessarijs, argue- re, si quis sensus, tanquam ad salutem scitu necessariùs, extra aut præter illam urgeatur? ac proinde quid jure in me culpari hîc possit, qui nō illa *duo* tantum loca, supra citata, sed & alia omnia, eòdem pertinentia<sup>a</sup>, sincerè credã? & singula ex aliorum collatione declarari posse, ac debere, ultrò concedam?

<sup>a</sup> Esā. 66. 1.  
P. 139. 7.  
E. 145. 3.  
etc.

3. Annon hætenus ab omnibus penè Theologis, ac præsertim Scholasticis Doctoribus, hæc ipsa quæstio admodum variè tractata fuerit? ira quidem, ut nec ipsi prorsus inter se consentiant; & alijs, ingenio ac judicio præditis, justã hîc ampliùs inquirendi, aut alicubi dubitandi, occasiõnē præbeant. Quod qui seriò agnosceret, is meam agendi rationem, quam in examinandis hujus loci decisionibus humanis adhibui, neque planè novam & insolentem, neq; injustam ac temerariam, esse judicabit: maximè si hujusmodi examen non modò suã naturã liberum, sed aliquatenus etiã ab ipso Deo mandatam<sup>a</sup>, & ad veritatem magis magisq; eruendam non parum utile accommodumq; esse cogitet.

<sup>a</sup> 1. Theff.  
5. 21.

4. Annon in S. literis ejusmodi complura testimonia occurrant (ne de humanis auctoritatibus quidquã nunc dicam, neque de rationibus, quas ipsa Natura, seu naturalis philosophia, nobis suppeditat) quæ vulgò receptam hæc de rebus opinionem non dico revera evertant, aut oppugnent, sed  
evert-

evertere tamen, aut oppugnare, planè videantur? V.g. quæ Deū in cœlo supremo habitare testantur? ac proinde quidnam ille mali committat, qui veritatis illustrandæ studio, Sacra testimonia illa (itē illas rationes &c.) vulgata hypothesi modestè opponat? aut Exceptiones inde aliquas adversus eandē desumat: si modò thesin ipsam, de immensitate Dei, in Verbo Dei clarè definitā, arctè teneat, ac religiosè defendat? ut ego quidem hac in parte fecisse me prorsus existimo.

5. An ad probationem vulgatæ hypotheseos, integrè plenèque acceptæ, sufficere possint illa duo testimonia, supra citata, quibus tu præcipuè niti videris? quum in illis neque absoluta Dei infinitudo, neq; substantialis omnipræsentia, nedum modus ille præsentia totalis in rebus singulis, & instar atomi &c. disertè exprimatur: quumq; ipsæ phrasæ Scripturæ, ac speciatim verba illa *Capiendi*, & *Implendi* (quæ Hebraicè sonant *Kalkel*, & *Malæ*, in suis præteritis &c.) ex *Collatione* similium locorum, alio sensu non ineptè accipi posse videantur; adeoq; à quibusdam Interpretibus aliter jam olim accepta fuerint: quum denique hîc de rebus finitis, puta cælo & terra, tantum agatur; quorum proinde impletio, aut etiam excessio, nō continuò absolutam immensitatem, aut essentialē ubiquitatē illam, ita modificatam, uti supra diximus, per se demonstrat.

6. Denique annon sufficiat, ad orthodoxian hac in parte meam apertè testificandam, si Deum verè Infinitum, & immensum, verèque omnipræsentem esse, *Ἰερικῶς* ac generatim confitear? & quidem addito etiam adverbio, essentialiter, seu respectu suæ essentia? etiam si reliqua illa Epigrammata, de totalitate essentia in rebus singulis, de quæ atomo, seu puncto individuo &c. præsertim tanquam creditu necessaria, non addam: ut quæ non modò nusquam in S. literis expressa sint, sed difficultates etiam non paucas secum trahere videantur: de quibus aliâ fortassis occasione, si Deus permiserit,

<sup>a</sup> *Psal. 2.*  
*Ch. 11. Ch.*  
*14. Ch. 33.*  
*Ch. 138.*  
*Ch. 6.*

<sup>a</sup> *1. Reg. 8.*  
*Iere. 23.*

<sup>b</sup> *1. Reg.*  
*4. 7.*  
*Mal. 3. 2.*  
*Eph. 1. 23.*  
*Ch. 4. 10.*

ferit, aliquanto explicatius agemus. Nunc enim ista satis esse possunt, ad viam futuræ Collationi hac in re muniendam.

Summa dictorum est: me revera nec Immensitatem, nec ubiuitatem Dei, tum virtualem, tum essentialem, ex propria quidem persona, sive ex meo pte sensu, in dubium vocare, nedum simpliciter negare: sed problematicè tantum, more disputatorio, in utramque, posteriore præsertim sensu acceptam, penitiùs inquirere. Ac thesin quidem ipsam, utroque sensu nudè propositam, non difficulter à me admitti, tum ob testimonia quædam S. Scripturæ, tum ob rationes à Natura Dei petitas, quibus illa sufficienter mihi probari videtur sic tamen, ut integram Scholasticorum *hypothesein*, quæ speciales quosdam utriusque rei modos nimium curiosè definit, non perinde certam ac veram, nedum ad salutem præcisè scitu necessariam, esse existimem. Denique non videri mihi boni Disputatoris officio illum hîc per omnia satisfacere, qui quum integram illam Scholarum hypothesein, sæpe jam dictam, solidè sibi probandam desumeret, nuda illa *duo* Scripturæ loca, in quæ ijs verba illa *Implendi*, *Capiendi*, item *Habitandi* &c. adversario suo proponat: nec interim Exceptiones istius, de genuino, vel alieno, illorum locorum verborumque sensu, de quæ certa, vel incerta, propositæ ex ijs ratiocinationis consequentia &c. diluere studeat. De quibus omnibus in posterum tibi seriò cogitandum erit, si modò aliquod in hac causa operæpretium præstare velis. Interim ad aliâ pergamus.

#### CAPVT IV.

*De simplicitate Dei, quomodo rectè intelligenda sit: & an ulla compositio locum in Deo habere possit.*

**D**Eum in Essentia sua simplicissimum esse, non modò nusquam à me negatur, sed disertis etiâ Verbis haud semel in ipsis thesibus, simul & Notis meis, asseritur.

Quòd

Quòd autem pag. 209. axioma illud, *In Deum non cadere ullam compositionem &c.* non simpliciter & omni modo verum esse dico: id non ad *essentiam* Dei, seu Naturam propriè dictam, sed ad liberam *voluntatem*, ejusque actiones ad extra, referendum esse, ibidem sapius admoneo: eoque de compositione latissimè sumpta, & impropriè dicta, nec per se quicquam ad Naturam Dei pertinente, puta de libera decretorum constitutione, seu voluntaria Dei circa hæc talia operatione &c. intelligendum id esse, aliquoties in illo ipso discursu declaro.

Tu tamen, nullâ hujus distinctionis habitâ ratione, sententiam meam indefinitè oppugnas: dum Sect. 3. 8. simpliciter & illimitatè concludis, Deum nō fore simplicissimum, si ulla (qualiscunque tandem sit) compositio in ipsum cadat. Quâ quidem in re non uno modo hallucinari mihi videris: sicut ex seqq. pauculis defensionibus animadverturum te spero.

1. Et si ego (ut antè dixi) Deum simplicissimum esse, minimè nego: modò id de *Essentia* & natura Dei, propriè dicta, dextrè accipiatur: tuâ tamen accuratationis erat, non ita nudè id ipsum asserere; verùm aut expressâ S. Scripturæ auctoritate, aut ratione aliquâ evidente, à reliquis Dei attributis desumptâ, obiter id demonstrare: præsertim quum de rebus tam obscuris, tamque sublimibus, assertio penè omnis periculosa sit: quumque hæc tua demonstratio, siquidem vera & solida sit, usum ac necessitatem prædictæ distinctionis indicare quàm faciliè possit. Hoc igitur ut in posterum facias oro; immò nunc jure meo postulo: nisi principium hîc aliquo modo petere videri velis.

2. Scire velim, annon agnoscas, in Deo revera esse, adeoque jam olim ante mundi foundationem fuisse, multa & varia de rebus creatis, aut creandis, decreta, seu proposita, verè libera, & per se contingentia? eoque verè tum inter sese, tum

Ephes. 1.  
2. Tim. 1.  
1. Cor. 2.  
1. Pet. 1.  
Ephes. 3.

maximè ab ipso Deo diversa? Si negas, opponam tibi haud pauca Scripturæ loca, quæ id ipsum clarè satis affirmant. V. g. quibus asseritur, *Deum ante mundi fundationem nos in Christo elegisse, gratiamq. nobis ante tempora secularia in illo dedisse, & gloriam æternam præparasse, &c.* item, *Christum nobis jam tum Seruatorem præordinaisse &c.* Denique, *Euangelium præteritis seculis in seipso absconditum habuisse &c.* atque hæc omnia liberè, *suxta consilium voluntatis, ac beneplacitum suum*; ita constituisse. Sin ais, explicari abste velim, quomodo nulla profus ibi sit compositio, ubi vera aliqua cōiunctio, sive Vnitio, rerum diversarum reperitur? Non enim idem sunt, ipse Deus, & decreta Dei: quum hæc illius effecta sint, sive actus quidam liberi. Et tamen hæc illi intimè conjuncta, sive unita sunt: quia verè in ipso sunt, sicut actiones esse solent in suo agente. Aliqua igitur conjunctio, seu compositio, non quidem naturalis, sed voluntaria, & latè admodum sumta, in Deo agnoscenda est: nisi & S. literis apertè contradicere, & speciarim *liberum arbitrium*, seu potius actuale ejusdem exercitium, ipsi Deo derogare velimus. Quo nihil absurdius excogitari posse, tute ipse, credo, fateberis.

3. Neque video, quid excipere hîc possis: nisi fortè cum Scholasticis quibusdam dicere velis (quod vix puto) ejusmodi liberos Dei actus esse tantum *externas denominationes*, quæ nihil reale in ipso Deo significant. Sed tum exponendum tibi erit, non modò quodnam istarum denominationum fundamentum ante secula fuerit, quum præter Deum nihil esset, in quo illæ fundari possent; sed in primis, quomodo sine contradictione statui possit, internas & vitales, ut vocant, Dei actiones (v. g. velle, amare, odisse &c.) nihil reale in Deo denotare. Quis enim non videat, ejusmodi voluntarios actus, qui ab externis effectis verè distincti sunt, & quorū vi effecta ista tandem in tempore produciuntur, non modò nuspiam extra Deū existere; sed & in Deo veram aliquam

quam entitatem, ab ipsa tamen Dei essentia diversam, propriè ac formaliter significare? Vtramque certè, rationem ipsa S. litera nobis suggerunt, dum decreta Dei non modò veras Dei actiones esse, sed & ipsorum vi externa Dei opera tandem consequi, clarè testantur. Hinc Psaltes, *Omnia quacunque voluit, fecit.* Item ipse Deus, *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam, &c.* Verè igitur ac realiter in Deo hæc decreta sunt. Neque tamen ipse Deus sunt. Intrinsicè igitur Deo conjuncta sunt: non quidem per Naturæ necessitatem, sed per arbitrij libertatem. Aliqua igitur libera compositio, seu mavis conjunctio quædam voluntaria, in Deo cum actibus hisce internis admittenda est: sed quæ tamen essentialem in Deo compositionem, ac diversitatem nullam arguat.

Plura jam non addam. Illud tantùm repetam, accuratè semper in hac materia nostra inter *Essentiam, & Voluntatè* Dei distinguendum esse: ut illic quidem absoluta simplicitas, & simul præcisa Naturæ Necessitas; hîc verò liberrima quidvis agendi libertas, & indifferens ad opposita volendum potestas, integra conservetur. Non enim sic indiscretè asserenda est Dei *simplicitas*, ut arbitrij *libertas*, ejusve actualis exertio (unde omnis Religio, & salus nostra, propriè dependet) in ipso evertatur, aut in dubium vocetur. Qua de re vide, quæso, accuratam *Iustini Martyris* disputationem ad-

<sup>a</sup> Edit.  
Commel.  
pag 135.  
& seq.

versus sui temporis Philosophos, simplicitatem Dei, perinde ut jam vulgò fit, indiscretè admodum urgentes. Quam si refutare velis, fortasse rem non inutilem feceris. Immodè rogo, ut aliquot saltem illius argumenta, non semel alibi à me producta, diligenter examinare ne graveris. Sic enim occasio tibi dabitur, & per te fortè mihi alijsque, de re tota plenius cogitandi. Atque hæc de isto Capite sufficiant.

G 2 CA-

*De aeternitate Dei: & speciatim, an, & quatenus decreta  
Dei aeterna dici possint.*

**D**E ipsa Dei *aeternitate*, simpliciter quidem & per se accepta, nihil hoc loco in controversiam venit. Nemo enim sanæ mentis homo unquã dubitavit, Deũ verè ac propriè, & quidem absolutissimè, æternũ esse, h. e. omnis planè originis ac finis expertem &c. De *modo* autem huius æternitatis Scholastici Dd. ita ferè statuere solent: nullam in ea dari successiõnem præsentis, præteriti, & futuri; sed totã, instar momenti, prorsus indivisibilem esse, seu cuilibet momento integram reipsa coëxistere &c. Quæ ipsorum decisio, quia planè ἀγαφ. Ⓞ est, immò quia & S. literis, & rectæ rationi, adversari omnino videtur, non sine causa obiter à me suo loco examinata fuit. Sed tu consultò ab hac questione abstinuisse mihi videris: Cujus consilij causas hïc curiosius inquirere nolim. Tantũ obiter rogatum te velim, ut sententiam hac de re tuam, veritatis amplius eruendæ gratia, clarè aliquando nobis aperire ne graveris. Nunc ad rem nostram.

Dixeram ego in Tractatu meo pag. 207. *decreta Dei non esse simpliciter aeterna*: puta, perinde ut Deus ipse æternus est. Item: *Posse Deum, respectu liberae suae voluntatis, modò hæc, modò illa decreta facere &c.* Hïc tu censuram istam annotasti: Scripturam nusquam docere (quod scias) Deum decreta facere in tempore: sed de decretis Dei loquĩ, tanquam factis ab æterno. In qua Censura quid ego desiderem, quid item laudandum putem, patienter audire te velim. Non enim nihil est ex utroque genere, quod utiliter moneri posse videatur.

¶ Ante omnia laudo circumspectionem & modestiam tuam, in parenthesi illa tua (*quod sciam*) obiter indicatam. Sic enim innuis, te aliquatenus hac de re dubitare; nec proinde  
dissen-

dissentientem temerè damnare velle. Quæ quidem agendi ratio, præsertim in rebus adeò abstrusis & difficilibus, nec præcisè ad salutem scitu necessarijs, utinam omnibus hujus temporis theologis paulò usitator esset! Et sanè aliquam hîc esse dubitandi rationem, ex ijs quæ in ipsa Collatione plenius exponentur, quæque ex parte aliqua infra dicentur, non obscurè intelligi poterit. Itaque tibi seqq. porrò benè notanda sunt.

2. Non dixeram ego, *Deum decreta facere in tempore*: puta in isto seculari tempore, quod unà cum hoc mundo incepit: quale tu sine dubio hîc intelligis. Neque indefinitè, citraque omnem cautionem, *decreta Dei æterna esse* negaveram: sed limitatè, ac comparativè, respectu Dei, non simpliciter æterna esse dixeram. Ex quo apparet, censuram hanc tuam à scopo nostro satis alienam esse. Neque est quòd dicas, eam in necessaria consequentia fundari: quum ex verbis meis perperam intellectis (quod tibi accidisse hîc videtur) firma consequentia extrui non possit: sicut ex subjectis rationibus abundè percipies.

3. Etenim decreta Dei non *simpliciter & absolutè* æterna esse, ut quidem ipse Deus est, vel inde constare puto, quòd solus Deus, etiam ex tua ipsius sententia, isto modo æternus sit. Decreta verò Dei nō sunt ipse Deus: ut quæ, teipso etiam fatente, à Deo facta sint. Quomodo autem quòd à Deo factum est, eoque creatum, ejusdem cum Deo æternitatis absoluta particeps esse possit? Num enim res creata creatori suo simpliciter coæterna esse dicetur? Num effectus suæ causæ voluntariæ ab omni æternitate coexistere potest? Aut num talis effectus non est, eoque num creatum in genere dici nequit, quod à Deo liberè factum est? sive quod ab indifferente Dei voluntate planè dependet? Certè ut causa & effectum nullo modo idem sunt; ita in voluntarijs agentibus nunquam totali duratione simul sunt: sed illa semper neces-

lario prior est, hoc autem posterius: sicut omnes sani philo-  
sophi hæcenus tradiderunt, & recta ratio fateri cogit.

Interea non diffiteor, etiam decreta Dei suo modo, &  
gradu, æterna esse, eoque sic generatim appellari posse: qua-  
tenus scilicet ante tempora secularia, sive ante mundi funda-  
tionem, à Deo facta sunt. Sic enim, & nõ aliter, de horum æter-  
nitate S. literæ loquuntur. Atque hoc sensu *temporarium*, &  
*æternum* (*αἰσχροῦ καὶ αἰώνιον*) in alijs etiam rebus, non raro  
inter se opponuntur: sive stilum S. Scripturæ, sive vulgatum  
loquendi morem, respicere velimus. Illud enim usitate sic  
dicitur, quod spacijs hujus mundi, seu presentis seculi, quo-  
quo modo circumscribitur. Istud verò, quod vel diu antè  
fuit, vel postea perpetuò futurum est: etiamsi nec ipse Deus  
sit, nec eandem cum Deo æternitatem absolutam participet.  
Porro quòd Deum, pro libera sua voluntate, *modo hæc,*  
*modo illa, decreta facere posse*, ibidem affirmo: id cum gene-  
rali æternitate decretorum, qualem modò audivimus, nulla  
ratione pugnat. Nihil enim verat, omnia Dei decreta du-  
dum ante mundi foundationem esse facta, & tamen ordinate  
facta esse. Immo constat, verum ordinem, ac seriem quan-  
dam, inter ipsa reperiri. Sic nimirum priora sunt, quæ ad vo-  
luntatem antecedentem a pertinent; posteriora, quæ ad con-  
sequentem. Et rursus in utroque genere illa necessariò præ-  
cedunt, quæ circa fines, vel summos, vel subalternos propriè  
versantur: sequuntur autem, quæ in medijs ad fines ordinan-  
dis occupantur &c. Hæc igitur decretorum libera dispositio,  
& quasi indifferens vicissitudo, tametsi absolutam illam æter-  
nitatem, quæ solius Dei propria est, cum iisdem communi-  
cari nõn posse arguit; alteram tamen, generatim sic dictam,  
minimè hinc excludit: simulque Deum ad extra, tam in de-  
cernendo, quàm in exsequendo, liberrimum agens esse  
perspicuè demonstrat. Qui quidem usus hîc serio notan-  
dus est.

vide Par.  
I. cap. I.

6. Postremò etsi non nego, *omnia* Dei decreta, eo quem dixi modo, & sensu, verè aterna esse: fateor tamen, hoc generale axioma in S. literis hæcenus à me observatum nondum fuisse. Nam locus ille, quem vulgò maximè huc citant, *Nota sunt Deo à seculo omnia opera ipsius &c.* si penitiùs inspiciatur, AE. 15. pro generalitate hac asserenda non satis efficax esse reperitur. Neque video, quem fidei articulum assertio contradictoria oppugnet, aut quidnam absurdi necessariò secum trahat. Immo verò quædam Scripturæ loca pro speciali antithesi facere videntur: imprimis illa, quæ singularem quorundam Dei operum præstantiam ex eo nobis commendant, quòd ante secula fuerint à Deo decreta: v. g. quæ de Electione piorum ad vitam aeternam, deq; Redemptione nostri per Christum agunt &c. Nam si omnia, & singula, etiam minima & vilissima quæque, ab aeterno divinitus decreta fuerunt, tum nulla hinc singularis commendatio operum quorundam peti potest. Quod enim omnibus omnino rebus commune est, id nullam quarundam, præ cæteris peculiarem præstantiam arguit.

Itaque vides, aliquam saltem dubitandi causam hinc moveri posse. De qua tamen amplius sententiam tuam, aliorumque tui similibus, audire malim, quàm temere quidquam in hanc, aut illam partem definire. Interea hoc ratum inter nos esto: decreta Dei (sive omnia omnino, sive pleraque saltem, ac præcipua) hæcenus aeterna esse, quatenus ante secula, sive ante mundi foundationem, à Deo facta fuerunt: quamvis interim absolutam illam, quæ solius Dei propria est, aeternitatem non participant: ut quæ libera Dei effecta sint, eoque suâ causâ, unde pendent, aliquatenus posteriora. Si quis error hinc est, eum certè videre nondum possim. A te verò clarè ostensum, libenter ipse corrigam.

Ephes. 1.  
1. Pet. 1.  
1. Cor. 2.  
2. Tim. 1.  
&c.

Mat. 2.  
Rom. 8.  
Hebr. 6.  
1. Tim. 1.  
2. Tim. 1.

1. Cor. 12.  
1. Tim. 1.

*De dominio Dei: an, & quatenus æternum, sive  
sempiternum, dici possit.*

**A**Dversus id, quod ego in Tractatu meo pag. 318. dixeram, dominium Dei necessariò sempiternũ esse &c. Excipis tu Sect. 79. videri hinc sequi, mundum quocunque, tanquam dominij illius objectum, sempiternum dici oportere. Id quod merito absurdum esse iudicas. Vbi rursus in initio modestiam tuam agnosco, veraque laude dignam iudico: qui sequelatu hanc non planè certam esse asseveraveris; sed ita tibi videri tantum dixeris. Et sanè gaudeo, me tuo isto exemplo adversus Censores quosdam uti posse, qui rigidas assertiones, & quasi Stoicam *ἀποφασίαν*, ubique à me requirunt: quique formulas istas, *Ita videtur, fortasse ita est, Non quod sciam &c.* tanquam Scepticorum, aut Pyrrhonorum proprias, odiosè nimis exagitant. De incertis enim præstat modestè dubitare, quàm præfractè asseverare, aut odiosè litigare. Sed hoc obiter dictum esto. Ad rem ipsam quod atinet, nego sequelam hanc tuam esse legitimam: idque obsequentes rationes, quas ultrò Censuræ tuæ subijcio.

**1.** Si æternitatem hinc à parte *anteriori* intelligis (ut quidem apparet) ea certè in verbis meis expressa non fuerat. Quare neque à te hinc urgenda erat. Neque enim ignoras, æternum, sive sempiternum, etiam à parte *posteriore* usitatè sic vocari: v. g. cum S. literæ *vitam æternam, iudicium æternum, Evangelium, ædus æternum &c.* passim appellant. Itaque hoc sensu etiam dominium Dei sempiternum in verbis meis interpretari poteris: quod scilicet, ex quo coepit, perpetuo durabit, nec ullo unquam tempore finietur. Nam destructo etiam hoc mundo (seu mavis immutato) Deus tamen inter beatos Angelos, & homines, æternum regnabit: quippe futurum tunc omnia in omnibus &c. Non igitur hoc sensu sequela

Mat. 25.

Rom. 6.

Hebr. 6.

1. Cor. 13.

Apoc. 14.

2. Pet. 3.

1. Cor. 15.

quæla tua procedit: quia non solus hic corruptibilis mundus  
 objectum est divini dominij: sed & alia, præter & extra il-  
 lum, vel jam existentia, vel olim futura.

2. Ponamus autem, in Verbis meis æternitatem *ab antè*  
 intelligendam esse: nondum tamen omnino firma erit ar-  
 gumenti tui consequentia. Annon enim, antequam Deus  
 hunc mundum creasset, alia divini dominij objecta esse po-  
 tuerunt? Certè *Basiliius* <sup>a</sup>, *Ambrosius* <sup>b</sup>, *Hieronymus* <sup>c</sup>, alijque  
 Patres, non modò esse potuisse, sed & reipsa fuisse, clarè affir-  
 mant: ut qui *Angelos*, unà cum suo domicilio, multis ante  
 hunc mundum sæculis à Deo conditos fuisse, non dubitan-  
 ter asserant. Quorum ego sententiam etsi contentiosè, tan-  
 quam certam, hinc tueri nolim; absit tamè ut vel impiam, vel  
 prorsus absurdam, esse statuam: quum nec gloriam Dei per  
 se obscuret; nec contradictionem ullam implicet; nec disertis  
 Scripturæ testimonijs, aut apertis rationibus, expugnari fa-  
 cilè possit. Ergo saltem tantisper incerta manet tua illa con-  
 nexio, dum istam Patrum sententiam manifesti erroris ex  
 Verbo Dei conviceris.

3. Sed hoc etiam præstito, nondum confecta res erit. Nam  
*Angelis* unà cum habitatione sua nunc omissis, alia dari ad-  
 huc possunt divini dominij objecta, quæ mundi creationem  
 diu præcesserint: V.g. libera Dei *decreta*: quæ juxta bene-  
 placitum Dei facta sunt, & de quibus ipse suprà dicebas, ab  
 æterno à Deo facta fuisse &c. Quòd si à Deo liberè sunt ab  
 æterno facta, ergo jam tum sub dominio Dei fuerunt. Quis  
 enim neget, Deum eorum omnium, quæ sic facit, ut vel ali-  
 ter facere, vel prorsus omittere ipsa possit, verum esse domi-  
 num? Et sanè si nos actionum nostrarum domini, respectu  
 liberi arbitrij, rectè vocamur, quantò id rectius de Deo dice-  
 tur? Hujus enim absoluta & plenissima est tum libertas, tum  
 potestas, extra se quidvis & decernendi, & faciendi: quum  
 utraque in nobis admodum angusta sit, multisque modis

H

limi-

<sup>a</sup> b in He-  
 xamero.  
<sup>c</sup> Commes.  
 ad Tit. I.

<sup>1</sup> *Sal. 115.*  
<sup>2</sup> *Ephes. 1.*

limitata. Saltem recta ratio fateri cogit, ea quæ Deus ex li-  
 Apo. 4. 11. bera voluntate facit, per quam scilicet omnia facta sunt, sub  
 potestate ac dominio Dei non immeritò comprehendi. *mul*  
 4. Adde postremò, quòd dominium Dei, formaliter ac  
 per se consideratum (h. e. absque externa & actuali exsertio-  
 ne, seu reali administratione) etiam circa non entia, sed *dú-*  
*verze*, h. e. quæ quidem actu nondum sunt, esse tamen pos-  
 sunt, aliquo modo versari dici potest. Nisi enim hæc quoque  
 divina potestati (& consequenter Dei dominio) aliquatenus  
 subjecta essent, nunquam ex ijs actu entia producerentur,  
 aut producta fuissent. Vnde illud, *Vocat Deus ea que non sunt,*  
 Rom. 4. *tanquam sint, &c.* Item, *Ex non apparentibus facta sunt ea que*  
 Hebr. 11. *videntur, &c.* Quare quum eiusmodi *dúvata*, h. e. non actu,  
 sed potestate entia, respectu æternæ Dei potentia & scienti-  
 æ, semper extiterint, etiam dominium ac potestatem circa  
 hæc aliquam ipsius Dei per se semper extitisse fatendum est:  
 licet actualis ejusdem usurpatione, sive externa functio, tum  
 demum coeperit, quum Deo visum fuit, alia præter seipsum  
 actu entia producere, partim intus decernendo, partim foris  
 exsequendo: sicut ex prædictis patet.

In summa: dominium Dei non uno modo æternum, sive  
 sempiternum, jure dici potest: sive æternitas antè, sive post,  
 consideretur: sive item res ante hunc mundum fortè crea-  
 tas, sive decreta de rebus postea creandis, spectemus: sive de-  
 nique entia actu, sive potestate tantum, respiciamus: sic ta-  
 men, ut aliter illud ipsum circa res actu creatas, aliter circa  
 creandas, aut creabiles; item aliter circa decreta, aliter circa  
 horum executionem, sese habere fatendum sit. Vnde me-  
 ritò Deus absolutè *Rex secularum*, sive *Rex æternus*, ab Apo-  
 stolo vocatur. Et *dominium*, sive *Imperium ejusdem, verè sem-*  
 piternum esse, alibi passim asseritur. Saltem hunc corrupti-  
 bilem mundum, aut res eo contentas, unicum divini do-  
 minij objectum esse (eoque unum cum altero simul, & in-  
 cepisse,

1. Tim. 6.  
 Psal. 145.  
 Dan. 4.  
 &c.

cepisse, & necessariò desitutum esse) nemo ex Scriptura, aut  
sana ratione, facìle probaverit.

CAPVT VII.

De beata Dei visione, qualis scilicet olim in  
caelo futura sit.

**N**on minima certè spei nostræ, h. e. eorum qui Chri-  
stiani sumus, hæc portio est, quòd Deū ipsum in al-  
tero seculo clarè *visuri* simus. Neq; de hoc themate,  
quod sciam, ulla inter nos quæstio est: quū S. Scriptura id  
ipsum disertè passim asserat. De modo autem ac qualitate hu-  
jus visionis jam olim inter doctos controversia fuit: utrū  
scilicet vera & externa, sive ocularis, quædam aspectio; an  
tantum interna mentis speculatio, sive plenior Dei cog-  
nitio, sub hac phrasi intelligi debeat. Ego sanè pag. 237. sen-  
tentia illorum magis accedo, qui nos in altera vita Deum  
ipsum oculis nostris visuros esse docent. Quod tamen obiter  
ibidem (sed plenius in <sup>b</sup> Exegesi) ita declaro, ut non de ocu-  
lis hisce carnalibus quales nunc habemus; sed de illis spiri-  
tualibus, quales olim habebimus; neque tam de ipsa interna  
Dei essentia, per se nudè considerata, quàm de externa ejus-  
dem gloria, seu diuina specie, spiritualique luce, ac majesta-  
te, accipiendum esse ostendam. Tu tamen Sect. 42. senten-  
tiam hanc improbas, & cum eo pugnare putas, quòd Deus  
in Scriptura dicitur ἀόρατος, h. e. invisibilis. Sed neque vim  
tuæ rationis hîc satis explicas: neque adversarij tui, quisquis  
tandem ille sit, exceptiones ullas attingis, nedum refellis. Ita-  
que distinctius hanc materiam à te considerari cupio: quam  
non ineptè ad sqq. Capita revocari posse putaverim.

I. Extra controversiam unà tecum pono, Deum verè no-  
bis esse ἀόρατος, sive inconspicuum. Id enim S. litera non  
uno loco satis apertè tradunt <sup>b</sup>. Sed de vero hujus Epitheti  
sensu jam olim variè quæsitum fuisse dico: idq; potissimum

H 2

propter

propter illa *prioris* generis testimonia, qua contrarium in speciem asserere videntur. Ita ut conciliatio quædam commoda hîc necessariò quærenda sit.

2. Dubitari autem posse puto, an illi satis rectè hæc concilient, qui *posterioris* ordinis dicta de externa visione, tanquã in utroq; seculo prorsus impossibili, interpretantur: eòq; *prioris* generis testimonia, non de vera & externa oculorum inspectione, sed de interna tantum mentis cognitione, accipere solent. Nihil enim obstare videtur, quin utriusque ordinis dicta de externa, seu vera & reali, oculorum visione, sed distinctè ramen, juxta diversos utriusque seculi modos, sat commodè intelligantur: prout ex sqq. patebit.

3. Itaque Deum verè invisibilem esse, cum S. Scriptura planè dicemus: Sed hominibus mortalibus, in hoc præsentî seculo degentibus; & quidem modo ordinario, seu naturali, quoad visionem hanc animalè, & carnalium oculorum propriam, &c. Eundem verò aliquando etiam, nempe in futuro seculo, facie ad faciem revera visum iri, cum eadem Scriptura non minùs rectè asseremus: sed ab hominibus immortalibus, ac perfectè beatis; & quidem modo supernaturali, sive coelesti ac spiritali &c. quo quidem modo S. Angeli, quibus illi tum similes erunt, cum corpora spiritalia habebûnt, jam nunc faciem Dei in coelo videre dicuntur.

4. Et sanè, si homines sancti aliquando in hac mortali vita, extra ordinè tantam à Deo gratiam acceperunt, ut Deum ipsum facie ad faciem aliquo modo videre potuerint: multo magis id beatis, & ἰουγγελοῖς illis, in futura vita tribuendum esse videtur: præsertim quum ipse Spiritus S. haud minimam futuræ beatitudinis nostræ partem in clara ista Dei visione a constituat: quumque nihil in ea, rectè quidem intellecta, reperiri possit, quod vel contradictionem involvat, vel S. literis directè uspiam repugnet.

5. Adde, quòd hanc sententiam & olim, & nostro seculo, quidam

Mat. 18.  
c. 22.  
1. Cor. 13.

Exod. 24.  
Esa. 6.  
Ezech. 1.  
Apoc. 4.  
&c.

<sup>a</sup> Vide lo-  
ca in initio  
sup. citata.

quidam etiam Orthodoxi Dd. non obscure approbarunt: sicut ex *Epiphano*, hæresi 70. de Audianis &c. *Augustino*, Epist. III. ad Fortunat. &c. *Zwinglio*, in fine libri de vera & falsa Relig. alijsque percipere licet: quorum verba, quia satis prolixa sunt, hîc studio brevitatis omitto.

Vides igitur, beatam illam Dei visionem, quam S. literæ sanctis hominibus in futuro seculo pollicentur, de vera oculorum aspectione (sed declarata tamen eo quo supra dictum est modo) intelligi per quàm commodè posse: neque objectionem tuam, ab invisibilitate illa Dei petitam, quæ huius seculi propria esse videtur, ad contrarium probandum satis efficacem esse. Quod idem de alijs instantijs, ab infinitate, & spiritualitate Dei desumptis, afferere licet: quum ex declaratione illa modi, simul & objecti, satis appareat, hanc visionem neque planè comprehensivam esse, ut vocant; neque tam in ipsam Dei essentiam, quàm in externam ejusdem faciem, seu speciem, ut S. Scriptura loquitur, immediatè ferri. Quod totum *Epiphanius* (loco supra citato) per similitudinem Solis & radij &c. pulchrè satis illustrat, & simul ab omnipotentia Dei veritatem dictæ visionis haud ineptè confirmat. Quem vide ampliùs, si placet.

#### CAPVT VIII.

*De meritoria salutis nostræ causa: siue sola Christi mors, an potius integra ejusdem obedientia.*

**Q**Vanti hæc quæstio ab alijs non paucis Ecclesiæ Dd. hodie æstimetur, tu quidè certè ignorare non potes: ut qui magnam eo nomine invidiam apud multos, etiam Evangelicos, hucusque sustineas, quòd in illa explicanda non parū à recepta sententia recedere videaris. Immò non defuerunt, neque etiamnum defunt, etiam inter Nostros, qui hæresin hæc de causa, & quidè excommunicatione dignam,

dignam, tibi imputare non vereantur. Sed absit, ut præpo-  
 sterum istorum Zelum vel probem, vel excusem. Errorem  
 certè hîc tuum aliquem agnosco; sed per se minimè lethā-  
 lem. Neq; enim hîc fundamentum aliquod fidei oppugnās:  
 quamdiu quidem utramque Christi obedientiam (vitæ sci-  
 licet, & mortis) ad salutem nobis comparandum, idq; ex ipsa  
 Dei ordinatione, necessariam fuisse agnoscis: immò quam-  
 diu utramque illam, salutis nostræ causam, si non æquè me-  
 ritoriam, saltè quoquo modo efficientem, esse fateris: pro-  
 ut ista ex scriptis tuis abundè liquere crediderim. Quinetiam  
 fateor, rationes quasdam, hæctenus à te pro sententiâ tua al-  
 latas, haud exiguam veritatis speciem habere: nec ab anta-  
 gonistis tuis, quos ego quidem legerim, satis solidè refutatas  
 esse. Quæ res haud dubie te, aliosq; tecum hîc sentientes, in  
 eadē opinione, quam hîc Sect. 33. repetis, haud parum con-  
 firmat. Interea non dubito (quod pace tua dixerim) te dupli-  
 citer hac in parte errare: partim negando, Christum integrâ  
 sua obedientia salutem nobis æternam promeruisse: partim  
 affirmando, in solâ mortis obedientiâ omne hoc Christi me-  
 ritum consistere. Quod ut ipse animadvertas, age utramque  
 sententiâ tuâ partem breviter ad normam veritatis exami-  
 nemus.

I. Equidem *negatio* tua, si verbum *merendi* præcisè urgeas,  
 aliqua veritatis specie nititur. Nusquã enim disertè scriptum  
 est, Christum obedientiâ vitæ suæ salutem nobis promeruisse  
 &c. Sed hoc pacto simul corruet *Affirmatio* tua, de merito  
 mortis Christi &c. quam tantopere aliàs urgere soles. Non  
 magis enim hoc verbum in Scriptura de morte, quàm de vi-  
 ta Christi, usurpatum invenies: sive de salute per Christum  
 nobis comparata, sive etiam de gloria ab ipso sibi ipsi acqui-  
 sita, ex professo agatur. Itaq; *res* potiùs significatam, quàm  
 nudam *phrasin*, hîc respiciendam esse vides: h. e. utrùm Chri-  
 stus solâ mortis passione, an potiùs integrâ obedientiâ suâ,  
 salutem

salutem nobis dignè acquisiverit, seu per modum meriti peperit, & apud Deum impetraverit &c. Nam his, aut similibus verbis, hîc utendum esse, credo, non negabis.

2. At quomodo hæc negatio tua, jam sic declarata, consistere potest cum ijs Scripturæ locis, quæ generatim & indistinctè asserunt, Christum propter nos, & salutem nostram, non modò *cruentæ morti*, sed & alijs *passionibus, ærumnis, ac laboribus* (puta *paupertati, ignominia, odio, persecutioni &c.*) immò *toti ministerio suo*, denique *totius legis observationi*, subiectum fuisse? Item, quæ speciatim per *illam Christi obedientiam nos coram Deo justos constitui* docent, quam Spiritus S. titulo *ἡμεῶν* exornat, quamque inobedienciæ Adami directè contrariam, eoque verè activam fuisse, declarat? Hæc enim omnia satis arguunt, meritum salutis nostræ ab istis obedientiæ Christi partibus simpliciter excludi non posse.

3. Quòd si dixeris, Christum hæc omnia, eò quòd homo natus esset, juxta legem Dei præstare debuisse: nec proinde hac ipsa præstatione mereri quidquam nobis potuisse: quum meritum & debitum semper inter se pugnent &c. negabo consequentiam hujus tui argumenti, unà cum ratione annexa. Nam si utraq; hæc simpliciter valeret, nullum planè meritum Christo tribuendum foret, nec pro seipso, nec pro nobis: ut qui jure <sup>a</sup> creationis, item nativitatibus sub lege &c. ad omnem possibilem obedientiam Deo præstandam obligatus fuerit: qui que præterea speciale <sup>b</sup> mandatum (quod certè debitionem parit) de morte pro nobis obeunda, à Deo Patre acceperit. Et tamen, his non obstantibus, ipse passim factoris, Christum non modò nobis justitiam & salutem, sed & sibi ipsi <sup>c</sup> gloriam & honorem, obedientiâ mortis suæ verè promeritum fuisse.

4. Vbi porrò *affirmatio* tua, per antithesin antè dictam, perq; voculam illam exclusivam (sola, vel tantum) more tuo limitata, in S. literis vel aperte, vel saltem obscure traditur?

Nusquam

Mat. 20.  
Mar. 10.  
2. Cor. 8.  
Gal. 4.  
Hebr. 2.  
1. Cor. 15.  
Rom. 5.

<sup>a</sup> Psal. 40.  
Gal. 4.  
<sup>b</sup> Job. 10.  
1. Cor. 15.

<sup>c</sup> Cöment.  
ad Phil. 2.  
Heb. 12.  
Apo. 5.

a 1. Pet. 2.  
 c. 3. &c.  
 b 1. Pet. 1.  
 Rom. 5.  
 1. Joh. 1.  
 &c.

Nusquam certè. Etsi enim passim legimus, Christum pro nobis passum, ac mortuum esse: item suâ morte, aut sanguine &c. nos redemisse b, Deo reconciliaffe, à peccatis purgasse &c. nusquam tamen vel oppositio illa, vel exclusiva tua limitatio, de qua sola nunc quærimus, in Verbo Dei exprimitur. Et quamvis, ad clariùs ostendendam Dei Christi que erga nos charitatem, mortis sapius aut sanguinis, quàm sanctæ vitæ Christi, mentio in hoc salutis acquirentis negotio fiat: nihil tamè meritorium uspiam illi tribuitur, quod non huic similiter attribui revera possit: sicut ex speciali singulorum locorum examine (quod nimis hîc prolixum foret) aperte constare potest.

Ex dictis igitur apparet, non solam Christi mortem (nisi cum fortè hæc exclusiva meritis nostris opponitur) sed integram ejusdè obedientiam, pro meritoria salutis nostræ causa simpliciter agnoscentiã esse. Atque hanc ipsam unanimem hac de re omnium penè Ecclesiæ Dd. & veterum, & recentiorum, sententiam hucusque fuisse, nemo ignorare potest, qui quidem non nihil in scriptis illorum versatus fuerit. Sed humanis tamè auctoritatibus hîc urgere te nolim: quas ipse contra manifestum Dei verbum, & rectam rationem, nihil virium habere ultrò concedo. Tantùm obiter hoc attingo, ut communem & publicam Ecclesiæ Christianæ doctrinam hîc à me defendi agnoscas: ac proinde ne pro contraria sententia tua, quippe & singulari, & planè nova, nimium acriter decertare velis: præsertim quum ipsa neque totidem Verbis in Scriptura tradatur, neque per satis firmam consequentiam inde colligi possit. Saltem id, credo, mecum fateberis, ubi Spiritus S. non aperte causas salutis restringit, aut limitat, ibi nec nobis aliquid tale temerè conandum esse. Tutò enim hîc ambulat, qui latè ambulat: periculose autem, qui nimis angustè. Præstat igitur, meritum Christi à nobis ampliari, h. e. ad totam ipsius obedientiam extendi, quàm sine certa necessi-

necessitate coarctari, sive ad unam aliquam obedientiæ speciem alligari. Denique ut finiam, universa de his rebus decisio, tum affirmativa, tum negativa (maximè si necessitatis opinio accedat) ex claris & certis Scripturæ testimonijs pendenda est. Alioqui & periculosa, & meritò suspecta, videri debet.

## CAPVT IX.

*De Miscellaneis quibusdam questionibus, ad varia S. Theologia loca pertinentibus.*

**A**Tque hæc quidem præcipua sunt, quæ in altera hac parte ad examen utiliter revocari posse judicavi. Superfunt tamen alia quædam, nō omnino prætereunda; sed meo iudicio minùs utilia, minùsque per se difficilia: quæ breviter hoc capite desstringam. Sunt autem ista.

1. *Sect. 1.* Illud in me carpis, quòd dixeram (idque ex loco Iobi cap. 12.) bestias *aliquo modo* Deum agnoscere, ac nobis indicare &c. Negas illud prius in bestias cadere, puta propriè. Hoc posterius ais per metaphoram sic dici. Assentior in utroque: sed ita, ut per illud, *Aliquo modo*, nihil aliud indicare me voluisse affirmem, quàm quod tuipse hîc indicas: sicut ipsa Collatio ex verbis meis, alibi pleniùs in eodem libro expositis, apertè ostendet.

2. *Sect. 9.* cupis tibi per exempla probari, Deum *insolitâ & miraculosâ* ratione quosdam interdum convertere. Do igitur tibi ante omnia exemplum *Sauli*, Ecclesiam Christi crudeliter persequentis: quem Christus, in ipso flagranti persecutio-  
nis actu, mirabiliter sanè convertit, immediatè ipsum vo-  
cando, & gloriose ipsi apparendo &c. prout historia sacra copiose testatur. Do etiam exempla reliquorum *Apostolorum*,  
saltem aliquorum: qui unico penè verbo à Christo vocati, relictis rebus omnibus, subito vocantem sequuti sunt. Quod  
certè singularem & insolitam quandam vocantis gratiam  
hic

hîc arguit. Plura fortè aliàs afferam, Deo favente.

3. *Secf. 12.* putas, *decreta* Dei per hoc fieri *mutabilia*, si homines, sese à peccatis ad justitiã, aut contrà, fortè convertendo, ex uno decretorū ordine in alium transire dicantur: puta ex ordine decreti punientis, in ordinem decreti parcentis, aut contrà. Sed hæc tua connexio planè nulla est. Tantum enim abest, ut decreta Dei per hoc mutabilia fiant, ut vel maximè hinc firmitas & constantia ipsorum appareat. Immò si illa hominum, mores suos utrinque mutantium, in novum decreti ordinem transitio tolleretur, tum demum decreta Dei verè mutarentur. Sic enim hæc immutabiliter à Deo constituta sunt, <sup>a</sup> ut ex una parte pijs ac pœnitentibus gratiam parcentè; ex altera impijs & impœnitentibus iram punientem, certò paratam esse declarent. De quo aliàs uberius.

<sup>a</sup> *Esa. 1.*  
*Ier. 18.*  
*Ezech. 18.*  
*Iob. 3. &c.*

4. *Secf. 22.* ais, justitiã fidei propterea nominari *justitiã Dei*, quòd Deus eam homini imputet ac donet &c. Sed hoc non verè pugnat cum sententia mea: quæ præter hanc causam, quam ultrò veram agnosco, etiã aliam exprimit: nempe quòd Deus in illa veram justitiã suã præcipuè demonstraret. Idem igitur ego dico, quod tu: nisi quòd aliquid amplius adjicio: idque ex ijs <sup>a</sup> *Scripturæ* locis, quæ speciatim hæc de re differunt: de quibus uberius in *Collatione*.

<sup>a</sup> *Rom. 1.*  
*3. &c.*

5. *Secf. 23.* putas, *officij* vocabulum Deo impropiè tribui: quippe quod significet opus alicui ab altero mandatum. Ego, tametsi odiosè nolim hac de re contendere (non enim meminî, me vocem hanc propriè Deo tribuisse) de annexa tamen ratione tua valdè dubito. Nihil enim vetat, quin vox ista generatim significet omne voluntarium opus, quod personam aut statum uniuscujusq; deceat: præsertim si quis se volens ad aliquid faciendum obstringat: ut quidem Deus in verbo suo facit, respectu suarum promissionum. Cedam

tamen hîc facile, si classicos auctores pro te citaveris.

*Secf. 27.* negas, ullum eventum Deo *inexpectatum* accidere,

dere, propriè quidè loquendo : itè, *tristitiam* propriè in Deū cadere, ex operis sui mutatione. Sed neque ego propriè ista Deo tribuenda esse dixeram. Tantùm quid *dolor* ille significet, quem S. litera Deo tribuunt, obiter exposueram. Metaphoram igitur ultrò hîc agnosco : si modò fundamentum & ratio metaphoræ nō negetur, h. e. si concedatur ejusmodi vera displicentia ingrati eventus, quæ tristem operis mutationem secum trahat: sicut ex locis a me citatis apparet.

Gen. 6.  
Esa. 5. 6.

7. Sect. 24. illud reprehendis, quod dixeram, Deum creaturæ peccanti pœnas *decernere*, &c. Quasi hinc sequatur, Deum post peccata demum admissa pœnas decernere : quū tamen decreta æterna sint. Sed distinguendum tibi erat, inter peccata actu & realiter (seu mavis in sese actualiter) & objectivè tantùm in mente Dei existentia : interquæ decreta Dei conditionata, & absoluta, idquæ respectu certarum personarū &c. Etsi enim Deus inde ab æterno peccaturis omnibus in genere certas pœnas cōstituit: nemini tamē speciatim eas infligere absolutè decrevit, nisi cujus peccata certò prævidit. Nam secus & decretum ipsius injustum foret : & temporalis exsecutio plurimùm à decreto discreparet. Quod utrumquæ *ἀπορον* est, & verbo Dei contrarium.

8. Sect. 34. ais, idcirco vocem *Corporis* Deo tribuendam non esse, quia S. Scriptura nusquam ei Corpus adscribat. Rectè quidem: si & illic de necessario vocis usu ageretur, & hîc de certa rei veritate constaret. Sed neutrum in hoc casu apparet. Nam & vox conjugata de Deo in S. literis usurpatur: v g. cūm *tota plenitudo deitatis in Christo corporaliter habitare* dicitur. Neque necesse est, ut quæcunque de Deo voces usurpantur, eæ expressè in Scripturis extent. Nam secus usitatae illæ voces, *Essentia, persona, Trinitas, ὁμοούσιος*, &c. prorsus abrogandæ essent. De *Tertulliani* autem phrasi dicetur amplius in Collatione.

Colof. 2.

9. Sect. 63. negas, Deum uspiam in S. Scriptura dici *Caput*



omnium rerum. Neque ipse sanè memini, me unquam illic legisse. Sed non idcirco tamen hæc phrasis simpliciter dam-  
nanda est: ut quæ nihil habeat S. Scripturæ contrariū; immò  
nihil nō congruum. Caput enim illic usitatè dicitur omnis  
Princeps, Dominus, Gubernator &c. Quo sensu etiam Chri-  
stus dicitur à Deo datus esse Ecclesiæ caput super omnia &c.

Ephes. 1.  
4 & 5.  
6.

At quis nescit, Deum eodem sensu primum rerū omnium  
Caput, h. e. supremum Rectorem, ac dominum esse: Tropus  
tantum dextrè accipiat: & nihil pugnæ de re ipsa supererit.

10. Sect. 43. damnas phrasin illam, Deū hypostaticè cum  
*homine Christo* conjunctum esse, h. e. cum humanitate &c.  
At ea ipsa plus centies à Patribus usurpata est. Et solent etiã

a Iohann. 3.  
A. 10.  
2. Cor. 5.  
Etc.

Nostri ex ijs Scripturæ a locis hypostaticam hanc unionem  
probare, ubi Deus cum Christo, & in Christo, esse aut fuisse  
dicitur. Abstracta certè & concreta vocabula de Christo sæ-  
pius indifferenter à Dd. usurpari, nemo harum rerum perit-  
us facilè negaverit. Libertas igitur hæc salva maneat, modò  
declaratio commoda præstetur, ubicunque opus est.

11. Sect. 45. perstringis illud, quòd dixeram, Christum ho-  
minem (sive quà homo est) respectu communicatæ divini-  
tatis, seu donorum divinorum, meritò *Deum* appellari &c.  
Nempe, quia etiam ante hanc communicationē Deus fue-  
rit. At posterius hoc nusquam à me negatur. Neque hæc ne-  
gatio ex illa priore affirmatione rectè concluditur: quum  
plures hujus appellationis causæ in Christo, integrè accepto,  
& esse possint, & revera sint. Est enim ipse naturâ Deus, ut-  
pote æternus & unigenitus Dei filius. Est etiam quà homo,  
per gratiam unionis, & exaltationis, ad tantam gloriam eve-  
ctus, ut hoc quoque respectu titulum illum dignè sustinere  
possit. Nō igitur contraria hæc sunt, sed tantum subalterna.

12. Sect. 46. Censes perperam à me dici, Christum olim  
in nubibus *totum* se conspiciendum nobis præbiturum, quã  
quidem homo est &c. Nempe, quia tantum secundū corpus  
conspici

conspici possit. Sed hæc *ἀνεπίβητα* tua modum excedere videtur. Vfitatissima enim ratio loquendi est, quâ totum hominem conspici dicimus; licet altera ejus pars, nempe anima, per se non videatur. Et sic Apostolus a hominem simpliciter inter τὰ ὄρατα recenset: periñde ut Philosophi omnes eundē inter substantias corporeas absolutè recensere solent. • Colof. 1.

13. *Sect. 47. & 51. & 54.* reprehendis Scholasticam illam distinctionem, tanquam ineptam, inter *totum Christum*, & *totum Christi*: negasque simpliciter, de toto Christo id rectè prædicari, quod ei per alteram tantum naturam inest: v.g. omnipotentiam, ubiuitatem, itē passionem, mortem &c. Sed quia ratio, quam adfers, satis infirma est: contrâque non modò Scholarū ac Patrum consensus, sed aliquatenus etiam S. Scripturæ stilus, tibi adversantur: idcirco neutra in parte assentiri tibi absolutè possum: tametsi nec logomachiam inanem hîc tecum exercere velim.

14. *Sect. 57.* statuis indistinctè, Deū omnia objecta scibilia æquè clarè cognoscere: puta per scientiam externę & absolutæ visionis, de qua ego ibidē verba feceram. At si res ita habet, tum necesse est omnia objecta scibilia in seipsis, aut saltem in suis causis, æquè clara & certa esse. Ita verò nullum erit discrimen inter necessaria & contingentia, interque absoluta & conditionata &c. Quod valdè absurdum est. Nec refert, quòd Deus omnia perfectissimè cognoscat. Hæc enim perfectio cognoscentis non tollit, sed stabilit potiùs, diversas objectorum cognoscibilium naturas. Nam perfectè is demum res cognoscit, qui sic omnes & singulas, uti in seipsis sunt, utque revera se habent, intimè ac distinctè novit: h. e. necessarias, ut necessarias; contingentes, ut contingentes &c. Secus enim scientia difformis & incongrua foret rei scibili; eoque minimè perfectæ, quippe errans, immò falsæ: prout examnanti facilè patère potest.

15. *Sect. 58.* ex eo, quòd præscientiam Dei aliquo ejusdem

decreto niti assero; & tamen Deum peccata efficaciter decrevisse nego &c. tu rectè colligere te putas, Deum nõ verè fore omniscium: ut qui peccata, juxta hypothefin hanc meam, non verè prænoverit. Sed longè erras: dum generale decretum cum efficaci, h. e. genus cum specie, in argumento tuo confundis. Nam etsi hoc posterius ego cum plerisque Dd. à peccatis excludo (idque veritate sic cogente) prius tamen illud in omnibus omnino rebus ultro admitto: quod etiam ad fundandam futurorũ præscientiam in Deo sufficere, non sine ratione existimo. De quo ampliùs aliàs.

16. *Sect. 63.* Negas, omne ens, quà Ens, bonum esse. In quo certè tui ipsius oblitus esse vidèris. Nã & philosophi omnes, ni fallor, hîc tibi repugnant, qui Ens & bonum reciprocari docent. Et ipsa recta ratio te premit: quippe clarè ostendens, omne Ens, quà Ens, à Deo, primo scilicet Ente, necessariò pendere: à quo nihil sanè mali oriri potest. Objectio autem tua, de *vitiosa qualitate*, in nobis hærente &c. nihil pro te efficit; sed tacitè principium petit. Nõ enim qualitas ista, quà Ens, sed quà vitiosa, seu debitã rectitudine carens, inter mala censerì debet: prout consideranti patet.

17. *Sect. 84* putas, totum N. T. cultũ non rectè *spiritualem*, ac *moralè* à me vocari: ut qui ex parte *ceremonialis* sit, nempe respectu S. Coenæ &c. Quà in re non gravatim errorè meum agnoscerè, nisi similes in Scriptura phrasès passim extarent: puta, ubi de comparatione V. & N. T. agitur, de què cultu Christianorum proprio &c. Hîc enim omnia in spiritu & veritate, non autem, ut olim, in ritibus & umbris, consistere Spiritus S. attestatur. Ut interim taceam, rectam S. Coenæ celebrationem non tam in externa & nuda signorum perceptione, quàm in Eucharistica & verè fideli mortis Dominicæ prædicatione (quæ res sanè spiritualis est) revera positam esse. Sed esto tamen hoc improprie à me dictum, h. e. synecdochicè, & respectu V. T. comparativè. Satis mihi est, si generatim,

Ioh. 4.

Rom. 1.

12.

Gal. 5.

Colof. 1.

Heb. 9 &c.

tim, exceptâ unâ vel alterâ ceremoniâ, verû esse agnoscitur.

18. *Secl. 87.* ais, Scripturam nusquam docere (quod scias) peccata nostra expiari per fidē: sed per sanguinē Christi &c. Et fortasse hîc verum dicis, si quidem *verbum* expiandi præcisē urgeas. Alioqui si *rem* spectes, toties hæc certè in Scriptura docetur, quoties per fidem justificari<sup>a</sup>, item in cordibus purificari<sup>b</sup>, in quē filios Dei adoptari<sup>c</sup> &c. ibidem dicimur. Nihil enim horum sine peccatorum expiatione fieri potest. Immo justificatio, per se sumta, quædam peccatorum expiatio est: prout intelligenti pater. Interim aliter *sanguine* Christi, aliter *fide* peccata expiantur. Illic enim operis dignitati & merito locus est: hîc verò divinæ gratiæ per Christum partæ apprehensio, & qualiscunque annexæ conditionis impletio, tantum intelligi debet.

<sup>a</sup> Rom. 1.  
<sup>b</sup> 3. & 4.  
<sup>c</sup> Act. 13.  
c Iob. 1.  
Gal. 3. &c.

19. *Secl. 89* puras, præter Scripturam, præterque rationem dici, bestias etiam *aliquatenus* interdum peccare, poenamque sibi *analogam* tum promereri. At si tropum, in verbis meis indicatum, probè notares, aliter fortè sentires. Nam quiddam certè peccato, poenæque analogum etiam in bestias cadere, vel ex eis Scripturæ locis colligi posse videtur, ubi de homicidio<sup>a</sup>, alijsque id genus peccatis<sup>b</sup>, etiam in bestiarum genere ex Dei præscripto vindicandis agitur. Et ratio hîc favet: quippe docens, aliquam Naturæ legem etiam bestijs à Deo inditam esse: cujus proinde violatio quandâ peccati analogiam habeat necesse est. Atque hoc sensu dictum illud Mosis<sup>c</sup>, quod citaveram, *de omni carne, quæ tunc viam suam corruperat* &c. haud planè *ἀλόγως* etiam ad bestias extendi poterit: quamvis alioqui certum sit, de hominibus id ipsum præcipuè intelligendum esse.

<sup>a</sup> Gen. 9.  
<sup>b</sup> Exo. 21.  
<sup>c</sup> Gen. 6.

20. *Secl. 105.* agnoscis, me Christum, quâ Deus est, è numero creaturarum disertis verbis eximere: quod & verissimum est. Interim mihi contrarium ibidem tribuis: dum titulum unigeniti, & proprii filij de Christo, tanquã de creaturâ,

turâ, exponere me dicis &c. Sed hîc aberras, dum id omittis, quod in verbis meis præcipuum est: nempe Christum duplici respectu sic appellari, tum quâ Deus est, idque principaliter, tum *Etiâ* quâ homo est. Hæc enim *Emphasis* in voce, *Etiâ*, bis tervè illic exprimitur. Atque hoc ipsum alij quoque Orthodoxi Dd. verum esse agnoscunt. Inter quos vide Calvinum in Comment. ad Luc. i. v. 35.

21. *Seçt. 113. & 114. & 116.* tribuis mihi, quòd spem, dolorem, metum &c. Deo propriè adscribam, h. e. absq; *avd qw-  
m m. d. e. a.* sive cum infirmitate aliqua vera & hominum propria &c. Vbi non parum à vero aberras: sicut ex serie verborum meorum, & cautelis à me passim intermixtis, abunde liquet. Sed hæc secutura Collationi reservo: uti & illud, quod *Seçt. 115.* ex verbis hisce meis, *Videtur hîc Deus à proposito suo recessisse &c.* statim infer, Deum juxta me verè à proposito suo recessisse &c. Quasi nimirum phrasés istæ prorsus æquipollentes sint: & quasi concessio idem sit, quod assertio.

22. *Seçt. 131.* absurdum esse judicas, peccata nostra tum demum expiari (puta reipsa in nobis) cum in Christum credimus &c. Nempe, quia jam antè per mortem Christi expiata sint &c. At distinguendum hîc tibi erat, inter diversos expiationis modos, & gradus: quorum alius ad *meritum*, sive acquisitionem Christi, extra nos factam; alius ad *efficaciam* ejusdem, quam reipsa in nobis exserit (quæque realem fruitionem, sive applicationem, beneficij jam parti, secum trahit) distinctè referri debet. Ita utrumque rectè dici statim animadverteres. Vide similem distinctionem duplicis *Reconciliationis*, apud Apostolum. Et confer ea, quæ paulò superius de expiatione peccatorum per fidem in Christum dicta sunt.

Atque hæc de isto Capite, satis alioqui prolixo, jam sufficiant.

2. Cor. 5.  
parag. 18.

## CAPVT X.

*De rectâ intelligentia quorundam Scripturæ locorum,  
in hisce Notis occurrentium.*

**P**ostremum hoc Caput aget de quibusdam S. Scripturæ locis, quæ tu passim in Notis hisce tuis aliter accipis, quàm vel alij Dd. accipere solent, vel ego partim ex vi verborum, partim ex alijs circumstantijs, accipi saltem posse existimo. Vbi aut planè nō repetam ea, aut parcè admodum attingam, quæ jam antè suis locis obiter examinata fuerunt. Paucula tamen quædam, hujus etiam generis, omnino indicanda esse videntur: in quibus, quia majoris momenti sunt, periculosius hallucinari te credo.

1. Ante omnia igitur id notandum puto, quòd Sect. 5. & sæpius alibi, circa locum illum Ezech. 33. 11. dupliciter errare videaris. 1. dum simpliciter negas, Deū ibi testari, se *velle*, ut convertatur impius &c. 2. dum non de *quolibet* impio (licet divinitus ad frugem vocato) sed de eo tantum, qui re ipsa convertitur, hîc agi asseveras. Nam contra utrumque membrum multa militant: puta, non modò communis Interpretum consensus; sed & ipsa verborum series, ac nativa proprietates; & quod rei caput est, scopus sive intentio ipsius Dei loquentis; & denique collatio similibus locorum, præsertim Ezech. 18. 32. Hæc omnia, inquam, perspicuè docent, sermonem hîc esse de vera & serua Dei voluntate, quâ cuiusvis impij, præsertim ad poenitentiam vocati, salutarem conversionem planè exoptat: licet eam in invitis re ipsa efficere nolit. Ne dicam, te in priore membro tacitè tibi contradicere, dum scriptum hîc esse fateris, Deum delectari conversione improbi &c. Hæc enim delectatio, est species volitionis. Quare unam admittens, & alteram negans, perinde facis, ac si Petrū hominem esse concedens, tamen animal esse neges.

2. Sect. 20. negas, ex loco Rom. 11. 32. rectè me colligere,

K

Deum

Deum eatenus omnium misereri, quatenus omnibus resipiscentibus (quales nos sanè omnes esse cupit) peccata condonat &c. putasque Apostolum hinc agere tantum de ijs, qui reipsa ex misericordia servantur. At hoc in textu nusquam apparet; ita scilicet, ut tu indicas, exclusivè acceptum. Alioqui si indefinitè accipiatur, sententiæ nostræ nihil hinc discrepant: quum & ipse fatear, quotquot servantur, ex misericordia servari; immo & resipiscentiam ex misericordia nobis donari. Sed addo tamen, non omnes hanc reipsa semper accipere, quibus eam Deus alioqui dare paratus est.

3. *Sect. 26.* asseris ex locis illis Ioh. 10. 15. & 11. 51. 52. Act. 20. 26. Rom. 8. 33. 34. rectè concludi, Christum pro *solis Electis* esse mortuum &c. Et sanè fateor, id aliquo modo hinc colligi posse, si quidē mortem Christi cum ipso reali effectu, sive saluari applicatione, ac fruitione, conjunctam hinc intelligeres. Nunc quum indefinitè sic loquaris, & alibi sapius expressè neges, Christū pro alijs ullo modo mortuum esse: admitti expositio tua non potest. Nam neque particula exclusiva, *Solis*, aut *tantum*, uspiam hinc expressa est: neque firmiter ex citatis locis, in sensu quidem generali acceptis, deduci potest. Non magis enim sequitur, quia Christus pro Ecclesia, aut pro ovibus suis &c. mortuus est, idcirco pro his solis esse mortuum, & nullo modo pro alijs: quàm si dicas, quia pro pijs, & amicis suis mortuus est, ideo pro impijs, & inimicis suis non esse mortuum. Quum enim istud non minùs, quàm illud, in S. literis asseratur, a utrumq; sanè pariter credendum est: nec alterum alteri simpliciter unquam opponendum: prout consideranti per se liquet.

4. *Sect. 35.* putas, Apostolum Rom. 7. 24. per *corpus mortis* intelligere non ipsam mortem, sed peccatum in homine habitans. Sed primò negationem tuam non probas: immo per affirmationem aliquatenus infirmas. Nam quid vetat, peccatū ipsum metonymicè mortem dici, quum sit res verè morti-

*a* Esa. 53.  
Rom. 5.  
Ioh. 15.

mortifera? Deinde non videtur Apostolus hinc propriè ipsum peccatum denotare; sed potiùs miseriam illam, seu captivitatem sub peccato, cui subjacent omnes, quotquot sub lege sunt extra Christum. Et cur magis absurdum videatur, hanc lethalem miseriam vocari corpus, seu massam mortis, quàm quòd cap. 6. 6. peccatum ipsum, te ipso fatente, corpus peccati dicitur? Cogitemus igitur hac de re ampliùs.

5. *Sect. 44.* ais, in verbis illis Psal. 36. 10. *Apud te est Vena seu fons vita &c.* agi tantùm de vita spirituali, seu gaudio fidelium proprio. Et Num. 16. 22. *per spiritus omnis carnis*, tantùm accipi debere animas hominum. Et similiter 1. Tim. 6. 13. ubi Deus omnia *vivificare* dicitur, de sola fidelium vita differi. At rationes nullas hinc uspiam adjicis, cur non aliquantò generalius, seu latiùs, hæc loca intelligi possint, h. e. etiam ad vitam sensitivam, & vegetativam, aliquatenus extendi; ut mea quidem fert opinio: de qua fortasse aliàs uberiùs, Deo favente.

6. *Sect. 48.* negas, uspiam scriptum esse, Patrem in Filio habitare &c. Quod quidem valde miratus sum: quum tu ipse illum ipsum locù, quem ibi citaveram (nempe Ioh. 14. 10.) in germanico sic verteris, *Der Vatter der in mir wohnt, &c.* quumq; præterea constet, verbum græcum *μένειν*, quò Christus hinc utitur, passim in N. T. significationem habitandi habere: sicut vel ex solo Iohanne, & quidem ex hoc ipso capite, satis constare potest.

7. *Sect. 49.* judicas alienam esse interpretationem loci Iohan. 3. 34. *Non enim dat Deus spiritum ex mensura &c.* quæ statuit, non malè ad omnes Christianos illum aptari posse. Sed non probas, eum de solo Christo necessariò accipiendū esse. Nam generatim rectè de Christo accipi, & quidem in principali sensu de ipso solo accipi debere, extra controversiam est. Hinc tamen non sequitur, ad veros Christi discipulos, præsertim illos primos ac præcipuos, aptari nullo modo posse.

Id quod solum eo loco à me asseritur. Neq; verò id solum ex omisso Christi nomine, item pronomine ipsum referente; sed etiam ex subjecta materia, & collatione similium locorum, probari posse adhuc existimo: sicut Collatio plenius ostendet.

8. *Sect. 50.* valde perstringis expositionem duorum locorum, Colof. 1. 19. & 2. 9. quam obiter adversus opinionem eorum, qui dogma corporalis Christi Ubiquitatis propugnant (non quidem ut necessariam, aut omnino certam; sed tantum ut probabilem, aut possibilem) ex *Castellione*, & *Erasmo* adduxeram: nempe præsupponens, ex cõmuni omnium sapientum iudicio, ad respondendum, seu potius excipiendum, satis esse, si probabiliter ostendatur, locum aliquem, ab argumentante allatum, aliter atque ipse existimet intelligi jure posse. Quod quum etiam in hisce locis fieri posse animadvertere, haud immeritò exceptionem istam adhibendam esse putavi. Ne jam dicam, boni Interpretis esse, nullum probabilem sensum eorū, quos fortè tractat, S. Scripturæ locorum dissimulare; sed omnes simul adducere, deque illis liberum auditoribus iudicium permittere. Hoc certè miror, te nullam censuræ tuæ rationem adjicere hoc loco voluisse: sed simpliciter interpretationem meam (quæ revera tamen mea non est) falsam, contortam, & cõmentitiam appellasse. Qua in re modestiam simul & prudentiam tuam meritò desidero. Nihil enim in illa dicitur, quod non Analysis grammatica, simul & logica, excusari saltem posse ostendat: quum nec verbis, aut phrasibus, ulla vis per eã inferatur; nec quidquam in ea pro confesso sumatur, quod subjecta materia, aut proprijs locorum circumstantijs, ulla ratione adversetur; immò quod scopo Apostolico, & toti sermonis *ουρησία*, non satis aptè respondeat; quod denique ex similibus locis saltem probabiliter confirmari non possit: sicut ex Collatione clarius apparebit. Interim te rogo, ut *Castellionem* ad locum  
priorem,

priorem, & imprimis *Erasmum*, in Annotationibus & Paraphrasi, ad alterum, paulò diligentius inspicias.

9. *Sect. 52.* rectè judicas, in loco 2. *Thef. 2. 9.* dici, Antichristi adventum fore cum omni *potentia*; non cum omni *potestate*, ut ego ibidè citaveram: quum in græco sit *δυναμεις*, non *ἐξουσία*. Itaque hîc erratum meum agnosco: sed quod veniale tamen & leviculum puto: tum quia alibi vocem *potentie* in hoc ipso tractatu usurpavi, de hoc ipso loco differens: tum quia vulgò hæc duæ voces interdum confundi solent: sicut apud *Scaligerum*, *Zabarellam*, aliosq; Philosophos, item apud Theologos, videre licet. Quod ipsum tamen à te *Sect. 55.* obliquè negatur, sed sine justa causa. Hanc igitur *ἀνεπίβδων* tuam ita laudo, ut tamen non magni momenti esse arbitrer.

10. *Sect. 60.* putas, in loco 1. *Cor. 15. 28.* *Vt Deus sit omnia in omnibus &c.* agi tantùm de *hominibus Electis*, non autem de omnibus rebus creatis. At neque ego posterius hoc dixeram: neque tu prius illud demonstras. Verus autem sensus absque dubio pertinet ad omnes futuri seculi heredes, tam angelos, quàm homines: quippe quos omnes ipse Deus immediatè tunc gubernabit, & æterna gloria complebit: sicut ex Apostoli scopo abundè patet.

11. *Sect. 69.* & sæpius alibi, contendis, in aureo illo & memorabili loco 1. *Tim. 2. 5.* non *omnes & singulos*, licet vocatos, sed tantùm *omnis generis* homines (qui scilicet re ipsa salvantur) intelligendos esse. Atque hoc adeò firmiter tibi persuasisti, ut etiam in versionibus tuis, & latina, & germanica, pro voce *omnes* substitueris voces alias, non profus æquipolentes, puta illic *quo quis*, hîc *allerley &c.* Id quod etiam ibidem in sequentibus verbis fecisti, ubi Christus dicitur pro omnibus se dedisse *ἀντίλυτρον &c.* At quidquid de sensu sit, versionem hanc saltem nulla ratione probare possum, quippe quæ non modò libertatem judicandi hîc imminuit, sed & facultatem Scripturas conferendi omnibus linguarum im-

peritis adimit: immò quæ Spiritum S. aut imprudentiæ, aut invidiæ, aliquo modo arguit, quasi qui satis apertè hîc loqui aut noluerit, aut nō potuerit. Nam quis negare potest, Apostolū ipsum, à Spiritu S. actum, in græco pro πάντας scripturum fuisse παντοδαπός, aut aliud quiddā æquipollens, siquidem hoc certius, aut clarius, quàm illud, esse credidisset. Ex quo etiam de genuino sensu hujus loci obiter judicari potest. Qui si minimè universalis esset (ut tu putas) num credibile est, Apostolum tum ijs verbis uti voluisse, quæ propriè sumpta nullum alium sensum, quàm universalem, admittere possunt? Sed de hoc loco etiam superiùs actum fuit, & alibi fortè sæpius agendum erit.

12. *Sect. 78.* rectè reprehendis, quòd in citando loco Rom. 11. 36. improvidè scripsi, *in ipso*, pro *in ipsum*: quum in græco sit, εἰς αὐτόν. Et miror ipse, hoc erratum mihi obrepfisse: quum eundem locum, in eodem hoc tractatu, non semel aliter citaverim. Nisi fortè aut vitium typographicum hîc est: aut vulgata versio mihi tunc ad manū fuit, undè locum subito exscripserim. Sed utut sit, errorem hunc rectè à te notatum esse agnosco, & jam ipse emendo.

13. *Sect. 86. & 117 &c.* contendis, in loco Rom. 9. 22. 23. per *vasa iræ* intelligendos esse, non quoslibet impios & impœnitentes, sed ejusmodi reprobos, qui absolute à Deo ad interitum destinati sint, qui que *vasa misericordiæ* fieri nullo modo possint &c. Sed hic sensus ex textu probari non potest. Immò contrarius sensus ibi non obscure traditur: sicut ex proprijs horum vasorum qualitibus, toto capite expressis (præsertim v. 30. & sqq.) ob quas etiã ipsa exitio destinata sunt, puta incredulitate &c. satis apparet.

14. *Sect. 97.* putas, Rom. 4. 4. 5. non distingui ab Apostolo *duplicem* mercedem, puta debitam, & gratuitam &c. sed tantum doceri, justitiam nō dari ut mercedem &c. At ego priorē sensum & verbis, & scopo Apostoli magis convenire credi.

crediderim. Neque enim tu Ellipsin, quã hãc statuis, ex ipso textu clarè deducis. Neque quidquã vetat, verbũ imputandi tam latè ab Apostolo usurpatum hãc fuisse, ut ad utramq; mercedem aptari possit. Quin etiam admissa Ellipsi, tamen distinctionẽ illam duplicis mercedis hinc rectè colligi posse arbitror. De qua re aliàs ampliùs.

15. *Seet. 103.* asseris, ex locis istis Ioh. 10. 16. & 11. 52. & Act. 18. 11. 12. rectè concludi, *Electos* in Scriptura dici etiam nondũ credẽtes. Intelligis autẽ semper actu *Electos*: sicut ex *Seet. 112.* planum est. At qui locis citatis *Electi* nusquam nominantur. Et tituli illi, qui tibi æquipollentes videntur, ab alijs longè aliter accipi solent. Et licet illi maximè æquipollerent, tamen non de actu electis, sed de eligendis, h. e. ijs qui in præscentia Dei tales sunt, intelligi perquàm commodè possent: sicut alibi pleniùs ostendetur.

Atque hic tandem finis esto totius *Parasceves*: quam suo tempore Collatio ipsa excipiet: ubi paulò diligentius examen, Deo dante, de omnibus instituetur.

FINIS.



Herbarius ... 1611



154438

ULB Halle  
003 351 521


3




80

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13



S. Theol. D.  
**CEVE**

ollationem  
logo D. Iohanne  
n in Illuftri Schola  
rofessore:

adam, ex illius Tractatu  
etica, pridem excerpta,  
er examinata.

*tractantur, maxime que  
nem concernunt.*

*inanem gloriam.*



E,  
**Tournai.**  
1612.

EH